535

DE
UTROQUE JESU CHRISTI
NOMINE IN NOVO TESTAMENTO OBVIO DEI FILII ET HOMINIS.

DISSERTATIONIS THEOLOGICAE

PARS POSTERIOR

AUCTORE

FREDER. GUILELM. GASS

PHILOSOPHIAE DOCTORE, THEOLOGIAE LICENTIATO.

VRATISLAVIAE,

TYPIS M. FRIEDLAENDERI.

MDCCCXXXX.

Pars posterior.

De nomine ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

§. 22.

Praefatio.

Haesitavi paulisper, rectiusne filii hominis nomen, de quo nunc dicturus sum, postponerem alteri, an priore loco collocarem. In quibusdam libris propterea opinor prius de hominis quam de Dei filio disputari, quod ab appellatione minus honorifica nec per totum Novum Testamentum adhibita ad angustiorem procedendum esse videbatur. Neque vero nos sine causa contrarium ordinem secuti sumus: nam quamquam utrumque epitheton sua difficultate haud exigua laborat, tamen difficilius est, cur se toties Jesus filium hominis vocaverit, perspicere et explanare. Vidimus enim, de prioris quidem nominis et origine et usu antiquo principeque sententia vix aliquem dubitandi locum datum esse, quum etiam ceterae Messiae laudes ad explicandum faciant. Posterius vero seorsum positum nec vulgatis plerumque vocibus interjectum est, ut quid significet, unde ortum sit, cur Jesu prae ceteris probatum, num ad Messiae potestatem personamque pertineat, facilius, jam illis quidem rebus antea expositis perspectum iri sperem. Melius quoque utrumque nomen inter se conferre poterimus, quum de clarioris constet vi atque auctoritate.

Differet quodammodo haec quaestio ab antecedenti nostro disquirendi genere. Nunc enim non erit, quod totum paene codicem perlustremus, quum nonnisi evangeliorum loci paucissimique ex aliis libris ad recensendum propositi sint. Tum rei prioris dogmaticum quoddam momentum et argumentum plurimum valet et ad summam totius de Christo disciplinae pertinet: altera vero in sequentibus mihi habenda quaestio, esti non abhorreat a rebus dogmaticis, majorem tamen interpreti etiam atque critico disceptandi copiam praebebit.

§. 23.

Opinionum varietas.

Unusquisque in hac terra natus, quem ut hominem filium quoque hominis dicamus, dignus est. Quo magis vero vulgare nobisque omnibus commune videtur, quod nomen enunciat, eo studiosius theologi latere in eo singularem quandam sententiam conjecerunt. Hoc enim pauci sibi persuaserunt, nihil aliud nomen valere, quam quod quivis homo pari modo sibi posset tribuere, neque id formula ipsa articulo duplici adaucta admittere visa est. Quum praeterea nec de vocis origine constaret, nec de causa, ex qua Jesus tantopere eam in deliciis habuisset, tam larga interpretibus in ea re conjectandi occasio data est, ut alii in aliam opinionem abirent. Exstat Scholtenii libellus de hominis filio scriptus (de appellatione τοῦ υἱοῦ τ. ἀνθρ. — Traj. ad. Rhen. 1809)*) et ob hanc praesertim causam laudabilis, quod auctor omnes paene

*) De eadem re nuperrime scripsit V. Cl. Böhme: *Versuch das Geheimniss des Menschensohnes zu enthüllen*, Neustadt an der Orla u. Schleiz 1839, cujus libri laudandi saepius infra occasio dabitur.

opiniones seu antiquo tempore sive nuper ad rem explicandam allatas diligenter collegit, aptum in ordinem redegit ac ne commenta quidem inania nulla prorsus dijudicatione digna silentio praetermisit. Cujus dissertationis denuo inspiciendae non fuisse mihi facultatem magnopere doleo: olim tantum eam me legisse memini, neque explicationum genera, quae non incommode statuit, e memoria deposui. Nomen enim ex duobus vocabulis *υἱός* et *ἄνθρωπος* compositum aut ita dicit accipi potuisse, ut utrique voci singularis significatio tribueretur, aut improprie ita, ut unam ambae notionem putarentur efficere. Priorem interpretandi modum secuti alii Jesum filium hominum i. e. vere natum ex aliquo homine declarari, alii mulieris natum putarunt e Maria videlicet virgine genitum, quidam prolem Abrahami, alii denique Adami vel Hevae progeniem. Altera interpretatio iis placuit, qui vel simpliciter hominem dici statuerent, vel omnino certum aliquem, quod in Jesu sermone non differret a pronomine *ἐγώ*, vel hominem primogenitum pro insigni articuli pondere, vel quendam maxime humanum et clementem, vel afflictae fortunae hominem, ut Jesus benevolentiam erga omnes seu tenuem in terra conditionem indicasset, significari existimarent. Fuerunt denique permulti, quibus nihil praeter Messiae hominisve excellentissimi atque divini agnomen visum sit.

Quarum opinionum quum plerasque aetas abolerit, nonnullae hodie etiam viris doctis commendantur. Illam quidem sententiam vel plerisque vel multis certe interpretibus nostris video probari, ex qua appellatio ex nobili quodam libri Danielis oraculo nata, nisi forte Messiam diserte significet, communionem tamen habeat cum ceteris laudibus dignitati ejus munerive tribuendis: paucis contra haec ex Vetere T. derivatio magnopere displicet. Etiamsi vero constaret de antiqua formulae origine atque vi, tum denuo, quo du-

ctus consilio Jesus quove animo motus ea usus sit, quaerendum fuit. Hac in re explicanda, sive quis naturae altitudinem mirificam, sive quodcunque humile sit et imbecillum in hominis filio tenuemque vitae cultum insigniri maluit, sive aliam peculiarem adhibendae vocis rationem excogitavit, inde praecipua sententiarum diversitas orta est. Videbis infra, ad quod fastigium humanitatis omniumque virtutum humanarum quasi simulacrum non dico Christus, verum is, qui hominis filium se vocavit, ab aetatis nostrae theologis pluribus elatus sit. Huic magnifico sunt qui inferiorem humanae sortis statum praeferant, cui indicandae nomen Jesus accommodaverit. Admodum igitur diversa et paene contraria de ejusdem tituli usu opinandi occasio data est. Accedit etiam significationis obscuritas, qua dicunt Jesu, ne externum quoddam decus prae se ferret neve invitus a multitudine Messias haberetur, hoc potissimum nomen commendatum esse. Illi denique quaestionem totam paene nullam esse existimant, quibus Christus pro quadam loquendi consuetudine inter antiquas gentes Orientales vulgata circumlocutionem nihil novum nec singulare exhibentem videtur adhibuisse. Ex hujus aestimationis modulo si theologorum diversas sententias partiri licet, altero loco illos reponam, qui nomini vim dogmaticam seu longe gravissimam seu minus insignem et quasi mediocrem tribuunt, altero eos, quibus de historica notione vocis quamcunque ob causam a Jesu adhibitae persuasum est, tertio tandem quosdam nominem, a quibus nullum paene sententiae pondus relinquitur.

Quo fere ordine in re digerenda et dijudicanda sit utendum, facile apparet. Priusquam enim ad sermones Christi, in quibus nomen reperitur, accedamus, quo ex fonte videatur profectum esse, subtilius disquirendum est. Tum locis singulis recensis et explicatis, sicubi haec causa postulabit, in universum de at-

tributi sententia principe, de Jesu in usurpando nomine consilio, de ratione, cur in epistolis non exstet, disserere, tandem utrumque nomen inter se conferre in animo est.

§. 24.

De nominis origine.

Apud antiquos variae dictiones reperiuntur, in quibus vel abundet filii vocabulum vel improprie positum sit. Hebraei praesertim eo progressi sunt, ut etiam, ubi de rebus inanimatis a se invicem aliquo modo pendentibus seu de abstractis, ut breviter dicam, nominibus sermo erat, haud raro filii verbo vel cognatis filiae, sororis, fratris, parentis vocibus uterentur: quarum dictionum non afferam exempla, ne e lexicis aliisque libris, quae trita sunt, videar transscripsisse. Notissimae Graecorum periphrasi *υἷες Ἀχαιῶν* pro *Ἀχαιοί*, *ἰατρῶν*, *ῥητόρων υἱεῖς* i. q. *ἰατροί*, *ῥήτορες* Hebraicae formulae respondent בְּנֵי הַיְּוָנִים , כֻּשִׁיִּים Aethiopes, Graeci , בְּנֵי הַנְּבִאִים prophetae. Quod de singulis ordinibus populisve dicebatur, etiam ad totum genus humanum poterat transferri. Ejusdem igitur classis phrases sunt, quae de hominibus in universum occurrunt, בֶּן sive בְּנֵי אָדָם , אֱנוֹשׁ et illud paullo honorificentius nomen בְּנֵי אִישׁ (Ps. 49, 3. cf. Jes. 2, 9, ubi אָדָם tenui fortuna ortum , אִישׁ nobilem hominem designat). Interdum quidem ita legitur בְּנֵי אָדָם, ut loco sit numeri pluralis simplicis verbi אָדָם : sed nescio an alia quoque nonnunquam significatio animadvertatur. Nam ut eximium omne decus parentum, sic angusta quoque debilisque eorum sors ad hominum filios transiit, atque liberi omnes, ex quo mortalium genere orti sint, imbecillitate sua ostendunt: quam si quis forte scriptor tecto sermone indicare volebat, haud inepte illa circumlocutione utebatur. Ita Deus de coelo ad hos hominum natos infirmos terraeque

inferioris habitatores despicere dicitur Ps. 33, 13. 14. Ubi eodem loco et numinis et hominum mentio fit, frequens propterea haec est tanquam imbecillae prolis, quae liberis tantum procreandis vitam producat, appellatio. Poëtae, quum membrorum parallelismum observent, in prioribus enunciationum membris simplices, in alteris adauctas, quas diximus, voces adhibere solent, v. c. Ps. 90, 3. Prov. 8, 4. Jes. 56, 2. 2 Sam. 7, 14: quo nominum ordine fortiores et significantiores haud raro sententiae redduntur (v. c. Num. 23, 19: „non instar viri Deus est, qui mentiatur, neque ut hominis filius, quem alicujus rei poeniteat", Ps. 144, 3: „quid homo est, quem tu respicias, quid h. f., cujus tu recorderis", cf. Ps. 4, 3. 8, 5. 14, 2. 36, 8. 45, 4. 66, 5. 115, 16. 145, 12. Mich. 5, 6. Joel. 1, 12. al.) Fortius etiam infirmos esse homines expressum est, ubi nati ex muliere vocantur. Quodsi igitur formulis hisce interdum significatur, quale sit mortalium genus a Dei altitudine longissine remotum, id quoque inde repetam, quod Deus cum Ezechiele propheta colloquens constanter eum fertur illo modo vocasse. Sexcenties apud Ezechielem idem illud legitur בֶּן־אָדָם (2, 1. 3. 6. 8. 3, 1. 4. 4, 16. 5, 1. 6, 2. 8, 5. 6. 11, 2. 4 etc.), quoties Deus illum adloquitur, quem etsi unum ex hominum multitudine nuncium sibi et ministrum elegerit dignumque sua institutione habuerit. Omnes autem hi loci, quibus addas Dan. 8, 17, tum ex Novo T. Marc. 3, 28 (cf. Hebr. 2, 6, ubi *υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων* vocantur homines), formulam quidem loquendi, non nomen singulare exhibent. Quare Lessium in opusculis (tom. II. dissert. 6) de hominis filio dicentem in eo errasse putem, quod Christi etiam agnomen ex iisdem exemplis explicandum esse statuit. Ezechielem enim Deus vocat בֶּן־אָדָם, quo jure quivis homo ab illo sic appellari poterat: Jesus vero ipse ita de se nomen usurpat, ut peculiari quodam modo ipsi

idoneum videatur. Neque igitur simplex allocutio υἱὲ ἀνθρώπου, quam reddunt septuaginta interpp., idem significat, quod distincta illa verba: ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Neque Jesum, quum nulli praeter se ipsum hoc tribueret, nihil aliud cogitasse crediderim, quam ut homo esse vel unus ex mortalium genere, id quod nemo dubitabat, putaretur. Nisi alius forte fons in libris veteribus aperiatur, omnino ab historica hac explicatione desistendum erit.

Jam vero quo me convertam, uno paene consensu viri docti commonstrant. E clarissimis enim libri Danieli adscripti vaticiniis id est, quod capite 7 legitur, cujus e vs. 13 ortum posteaque a Jesu assumtum esse dicunt Messiae tanquam filii hominis cognomen. A viris celeberrimis Scholten, de Ammon, de Wette, Baumgarten-Crusius, Wegscheider, Gesenius, Boehme aliisque opinionem hancce video defendi.

§. 25.

De eadem re.

Mirabile illo loco somnium enarratur, quo usus propheta bestias tres immanes conspicari sibi videtur, quartamque feritate prae ceteris insignem, decem mox undecim cornibus instructam. Additur his coelestis judicii adspectus: sedet in eminenti solio summus judex vestis et capilli candore fulgens, qui servorum corona stipatus libris evolutis arbitria de sontibus agit. Itaque morte multatur quarta bestia, cujus e cornu undecimo superbissima verba prodierant, reliqua animalia toto suo robore privantur. Tum statim cunctos honores illis bestiis detractos unus suscipit rege jubente, qui hominis specie indutus superne delapsus erat, cujus regnum et splendidum et sempiternum dicitur futurum esse. De singulis hujus imaginis partibus explicandis quum paene constet inter interpretes, nam quartae bestiae visione plerique dicunt

Alexandri et haeredum ejus imperia significari, de hominis illius specie illa dissensio superest, ut alii Messiae alii Hebraeorum populi imaginem a vate adspici existiment. Prior quidem interpretatio auctorum et vetustate et multitudine alteri praestat. Iudaeorum enim interpretes uno consensu de Messia locum accipiunt (cf. Gfroerer l. l. II, p. 292 sqq.) Ecclesiae vero patres, quin Christum tanquam hominem olim adventurum propheta praedixerit, non dubitant. Sic Theodoretus in commentario ad h. l.: υἱὸν μὲν ἀνθρώπου σαφῶς ἀποκαλῶν δι' ἣν ἀνέλαβε φύσιν, Hieronymus: „nunc sub persona f. h. introducitur, ut assumptio carnis significetur in filio Dei". Irenaeus IV, 28, Justinus M. in dial. c. Tryph. p. 196 ed. Thirlby, Tertullianus adv. Marc. IV, 39, ac similiter ceteri fere omnes, quoniam omnia, quae Messiam attinent, sine mora ad Jesum referre consueverant. Recentiorum plerisque Messiae imaginem adumbrari persuasum est, ut Bertholdio, Gesenio et novissimis Danielis interpretibus de Lengerke et Haevernick. Alteram sententiam, ex qua vel natio Hebraea vel una Maccabaeorum gens homine illo repraesentata sit, defenderunt Jahn (Einleitung II. p. 616, Baumgarten-Crusius l. c. p. 381 et Paulus Comm. z. N. T. III, p. 58), quibuscum nuper fecit contra Lengerkium disputans Raebiger.*) Causae hae sunt, quibus ad tuendam explicationem nituntur. Primum, quum bestiarum quatuor figuris procul dubio totidem regna a propheta descripta sint, consentaneum esse dicunt, ultimam quoque hominis speciem de aliquo populo non de persona singulari intelligere. Id si recte statuunt, nihil sane magis in promtu est, quam ut de Hebraeis maxime cogites sive omnibus seu prae-

*) cf. dissertationem de ethice librorum Apocryphorum. Vratislaviae 1838. p. 5.

cipua ex iis parte, poteratque hoc non inconcinnum in animo habere scriptor, ut Israëlitas tanto illis gentibus potentiores et clariores fore indicaret, quanto humana forma nobilissima prae ferarum foeditate excelleret. Sed obstat, quod vs. 13 nova incipit visionis pars non ad priorem bestiarum similitudinem revocanda, sed in qua senis solium cum ministrorum corona emineat. Quod deinde dicunt, non esse locum de uncto Jehovae explicandum, cujus nulla per totum librum certa atque dilucida mentio facta sit, minus valet propterea, tum quod vel uno loco auctor potest Messiam praedicere voluisse, ut in Amosi vaticiniis Messianae spei nonnisi unum vestigium reperimus, tum quod nonum etiam Danielis caput obscurum ac difficile plane ab ea re alienum esse aegre comprobare licet. Sed aliae rationes accedunt, quae ut nostro quidem loco facilius Messiam quam Hebraeos vel Maccabaeos proponi putemus, nos commoveant. Mira enim foret et prorsus inaudita similitudo, qua usus scriptor sive nationem suam seu ipsos ejus principes cum nubibus adventantes fingeret. Ubinam hos in prophetarum libris tam sublime ferri animadvertimus? atque si forte vates voluit Israëlitas summos honores et vicinarum gentium principatum consecuturos esse ostendere, nonne ita imaginem depicturus fuisset, ut illi non quasi coelitus delabi verum ex inferiore loco evehi atque omni liberari calamitate viderentur? Rectius igitur, quem visum repraesentavit, de persona singulari sumes illiusque praesertim, in quem Israëlitarum futurum principem maximorum etiam regnorum imperium Deus collaturus esset. Deinde verba כְּבַר אֱנָשׁ non simpliciter merum hominem sed eum significant, qui, quum cetera hominibus non aequalis sit imo longe praestet divina dignitate, externam tamen formam habeat hominis: haec significatio si totum aliquem coetum comprehenderet, omissum esset opinor כ, quod neque

prioribus bestiarum nominibus praefixum est.*) Neque illud etiam tertio loco a Raebigero positum discrimen dabit, quod vrs. 17 et 18 Danielem de totius somnii veritate quaerentem ex praesentium aliquo accepisse legimus. Hic enim non nominans unum aliquem principem fore inquit, ut eversis bestiarum regnis ad sacros Dei ministros summum imperium transeat. Ex quo ne concludas, eosdem sanctos Altissimi paullo ante cum hominis filio comparatos esse: nam uti semper cum Messiae laudibus Israëlitarum quoque honos conjunctus celebratur, ita optime hoc loco visionis interpres illos respicit, qui totius gloriae donandae illi hominis instar apparenti participes futuri sint. Cf. de Lengerke in Dan. p. 335 sqq.

Sed licet etiam nunc de recta hujus loci explicatione dubitemus, hoc certe quisque dabit, facillime tunc temporis vs. 13 ad Messiam referri potuisse. Quocum arcte cohaeret, quod nos jam inprimis sciscitamur, rectene theologi hunc fontem, unde Christi agnomen haustum sit, monstrarint. Sola si Danielis verba specto, aegre perspicere mihi videor, qua ratione inde appellatio nostra originem duxerit. Descriptionis enim illius non tam ea ratio est, ut Messiae quaedam humana species proponatur, sed ut appareat, maximam illius fore potestatem. Num igitur id, quod imagini potius adumbrandae inservit quam ipsius sententiae et

*) Visionem ep. octavo enarratam prophetae exponere ab alio quodam genio jubetur Gabriel visus illi כְּמַרְאֵה גָבֶר (8, 15). Simili modo infra 10, 16 Danieli angelus sese offert exhaustum et in terram prostratum corpus viri erigit ejusque oculis humana figura conspicuus obversatur : כִּדְמוּת בְּנֵי אָדָם, vs. 18 כְּמַרְאֵה אָדָם. Respondent hae appellationes nostro nomini כְּבַר אֱנָשׁ, quod illic personae singulari attribui eo magis probabile est.

argumenti pars est, tantum putemus valuisse, ut singulare quoddam nomen et gigneret et propagaret? Praeterea haec valde distant inter se, si quis aut tanquam hominis instar visus traditur, aut nomen disertum accipit *ὁ υἱὸς τ. ἀνϑρ.*: alterum enim oculorum conspectum quendam, alterum verum aliquod indicat et illius in ore versatur, qui non quodammodo sese contulit sed parem gessit hominibus. Haec causa fuit, cur nonnulli viri cum Schleiermachero *) omnem illam de nominis ortu perperam allatam esse opinionem contenderent. Sed multa ex Vetere T. deprompta novimus, quae scriptorum Judaicorum studio ampliorem locum et vim, quam videntur habere in libris sacris, obtinuerunt, ut ex uno dicto frequens sensim prodiret ac dicendi usu sanciretur significatio. Atque Danielis oraculorum quanta dignitas fuit Judaeis, quam frequens apud apocalypticos maxime scriptores lectio et observantia! Excellebat illa nimirum coelestis hominis cum nubibus vecti effigies, quam quum Messiae personae describendae accommodassent, neque illud opinor a studio eorum et cogitatione abhorruit, ut prophetae verba imitati loquerentur de Messia hominis filio. **)

---

*) Glaubenslehre II, p. 99. *Es ist ein ebenso sonderbarer Einfall, dass diese Benennung eine Widerlegung der Volksmeinung sein sollte, dass niemand wissen sollte, von wannen der Messias komme, als jene andere, dass sie hindeuten solle auf ein Danielisches Gesicht* (7, 13), *wo einer wie eines Menschen Sohn offenbar im Gegensatz gegen die früher angeführten Thiere — in des Himmels Wolken vor den Alten kommt.* Cf. Strauss. L. c. I, p. 530.

**) Demonstrandi causa nomen צֶמַח conferunt viri docti, quod quum primus Jeremias (23, 5. 33, 15) Messiae imposuerit tanquam Davidianae stirpis nobilissimae suboli, postea proprium quasi illius nomen habitum esse Zacharias testis sit. cf. Bleek, der Brief an die Hebraeer, tom. II, p. 245.

Sed ante ipsius Christi aetatem tale quid illis acceptum consuetumque fuisse unde probabimus? omnibus paene de eo argumentis destituti sumus. In Graecis enim libris Apocryphis vix ulla reperiuntur, quibus constet, tunc etiam temporis Judaeos libertatis vindicem Messiam praestolatos esse. Ipsum nomen Messianum frustra quaeret vel in illis vel in Pseudepigraphis ceterisque reliquiis, nisi forte quis in librum Henoch inciderit.

§. 26.

De nomine in libro Henoch obvio.

Satis amplum hunc librum, quem modo diximus, Aethiopica lingua exaratum primus inspexit et in publicum proposuit vir immortalis memoriae Sylvester de Sacy, post eum Anglice edidit integrum et adnotatione ac praefatione doctissime scripta instruxit Laurence, tum nuper Hoffmannus in vernaculam linguam vertit versumque et commentariis perpetuis locupletatum emisit, praeter quos alii viri ut Lueckius (Einleitung in die Offenb. Joh. p. 52—78), Ewaldus, Gfroerer (das Jahrh. d. Heils I, p. 102 sqq.) de eodem monumento scripserunt. Quibus viris doctis ad hoc primum respondendum fuit, sitne idem ille codex, cujus multa apud Gregorium Syncellum, pauca in Tertulliani, Justini M., Irenaei, Clementis Al. operibus fragmenta exstant, deinde de aetate indoleque libri subtiliter quaerendum. Quod posterius attinet, haec oracula neque fusa esse posse post Judae epistolam, cujus versu 17 laudatum habes Hen. 2, 1, neque ante Danielis aetatem composita cuique in propatulo erat.

Strauss, l. c. vol. I, p. 530, qui insuper monet, carmen Davidis elegiacum 2 Sam. 1 ex versu 22 sollemne nomen accepisse קֶשֶׁת.

Quum vero accuratius definiendum esset tempus, Luekkius primo saeculo medio fere auctorem vixisse a Christianorum sacrorum scientia non alienum affirmavit, Gfroerer aliique priore aetate (Hoffm. primis annis regnantis regis Herodis, Gesen. in Lex. s. v. אֱנוֹשׁ et Ewald in Comm. in Apocal. p. 9 circa nati Christi tempora) ab homine Judaica tantum religione imbuto scriptum esse librum censuerunt. Ego, qui forem paene ridiculus, si post tam claros et eruditos rei aestimatores novi quid proferre vel enodare obscura conarer, nihil dicam, nisi Hoffmanni versionem quid mihi legenti visum sit.

Varia sunt neque ordine certo adstricta, quae auctor antiquum illum proavum Henoch de rebus futuris praesagientem facit. Messiam et crebro commemorat et in novissimis ejus operibus praenunciandis diligens atque copiosus est. Quae locis pluribus de arbitriis extremo tempore magnifice per illum habendis, quibus futurum, ut convocatis mortuorum animis pii amoenis, improbi tristibus locis et habitaculis demandentur, de Deo potentissimo nitido in monte sedente (qui dicitur caput dierum secundum Dan. 7, 9: 54, 1. 59, 1. al.) de hominis filio judice augusto enarrat, ea ad veterum prophetarum maximeque Danielis exempla exhibita esse cognovi. Electum nominat Messiam cp. 40, 5 suprema judicia exercentem, eumque parabolis sequentibus celebrat in majestatis solio adorandum (45, 3. 4. 48, 3. 4. 50, 3. 60, 10. 15). Jam cp. 46 sqq. ipse hominis filius (quaerebam inquit vs. 1, quis esset et unde ille h. f. cf. vs. 62) summis laudibus extollitur, quem justitia cum ipso habitante occultarum rerum thesauros patefacturum, reges de thronis excitaturum, summi discriminis consilia prope Dei sedem habiturum esse dicit, dum symphoniae cantus triumphales fundantur (68, 38 sqq.). Cp. 61, 9 Messiae non hominis sed mulieris filio nomen est, quod dubi-

to num Lueckius recte ex Pauli verbis *γενόμενος ἐκ γυναικός* (Gal. 4, 4) explicandum conjecerit. Infra pro muliere virum reperimus 69, 17: tu es filius viri natus ad justitiam, super quem justitia mansit. Denique filii Dei agnomen semel exstat in Dei sermone 104, 2: ego enim et filius meus in sempiternum cum iis conciliabimur etc.

Quamvis et operis argumentum et totum disserendi genus Judaicam indolem prae se ferat, pauca quaedam Lueckius notavit, quae jam constitutam legem Christianam redoleant. Ubi de aedibus novis veterum loco condendis (89, 39), de hebdomadis nonae temporibus, quibus impios castigatum, justos electum (*ἐκλεκτοί*) praemiisque ornatum iri auctor vaticinatur, vir Cl. non solum regni Messiae, quod Hoffmanno videtur, verum Christiani simul primordia spectari voluit, aliaque hujus rei indicia collegit. Ita si recte judicavit, etiam nomina nostra et angelorum significationem ut *κυριοτήτων* a spiritu sancto discernendarum, (60, 13) illis rebus jure adnumerabimus, quae ex novarum rerum memoria ortae sint. Fateor tamen, me adversariis Lueckii, quum probent, vel dubia esse ista vestigia vel ex ipsius Judaici scriptoris spe atque cogitatione petenda, facilius assentire. Certissimum vero de libri aetate judicium ferre, fortasse ne cogit quidem nos haec disceptatio. Ponamus enim scripsisse auctorem quo Luecke statuit tempore, nec rudem fuisse rerum per Christum mutatarum. Cur tum tam pauca inde promsit? cur sacrorum Christianorum clariora specimina nulla admiscuit, nisi quod omnino Judaeorum animis accommodate scripsit? Dei filii nomen Christianis quidem carissimum semel adhibet, altero vero obscuriore nulla adjecta explicatione et frequenter et in symbolicis maxime descriptionibus utitur. Novum ergo nomen lectoribus Judaeis fuisse vel solis Christi sermonibus divulgatum, tametsi cogitari possit,

probabile quidem non est. Addito igitur hoc argumento libri Henoch ad opinionem supra laudatam licet factum esse conjicere, quod potuisse fieri nemo negabit, ut is, quem vates in ipso coelo humana specie insignem eaque ab angelis omnibus diversum conspicatus esset, ex hac Danielis imaginatione obscurum quoddam personae suae et dignitatis cognomen acciperet.

Quod de ortu nominis opinati sumus, infra forsitan, ubi de locis singulis dicendum erit, magis etiam confirmabitur. Illud vero hic attinet diligenter monere, ne quis putet, me fonte aliquo historico quaerendo significationem quoque nominis, quae Christo placuerit, voluisse definire. Quocunque enim modo vox orta est, Christus dignitatis suae integerrimus arbiter eam non ut usitatam vel testium auctoritate nobilem assumsit, sed pro sua ipsius existimatione sibi vindicavit. Ipse igitur solus, ubi de nominis vera vi ac potestate agitur, audiendus est.

§. 27.

De usu nominis in universum.

Octogies fere vel quinquies et quinquagies, locis demtis parallelis, Jesum se filium hominis dicentem reperies, uno loco a Stephano moribundo eodem modo appellatum. Si quis addubitet, num Jesus nonnisi se ipsum ubique dixerit, primo facile oculorum obtutu erroris convincetur. In universum quidem trium evangeliorum in adhibenda formula magna consensio est: usu tamen venit interdum, ut commutata illa cum pronominis personalis aliqua forma ἐγώ, μέ, αὐτόν aliave alterum alteri in Synopticorum locis respondeat. Sic legitur v. c. Marc. 8, 31 et Luc. 9, 22 δεῖ τὸν υἱὸν τ. ἀ., et eodem l. Matth. 16, 21 δεῖ αὐτὸν; Matth. 16, 13 με τὸν υἱ. τ. ἀ., ubi Lucas 9, 18 tantum habet με, ac nonnunquam in eodem textu simplex aut

sequitur alterum aut antecedit, ut Matth. 16, 45 ὁ υἱ. τ. ἀ. παραδιδούς, et versu sequenti ὁ παραδιδούς με (cf. Marc. 14, 41. 42), et Matth. 11, 28 οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ac paullo post ὅταν καθίσῃ. Liquet igitur, de eo semper qui loquatur esse sermonem. Dein ex hac levi varietate dicendi, quam nemo mirabitur animadversa reliqua dictorum similitudine, illud quoque colliges, non quavis in sententia proponenda aeque strictum ac necessarium agnominis usum esse, alioquin enim nunquam pronominis solius tenere locum videretur. Ut saepius interpres dabit operam, ne singulis vocibus penitus quasi exhauriendis male sedulus instet omniaque aestimet cum insigni pondere dicta esse, sic hac quoque in re, ne quis nimia quadam interpretandi sagacitate labatur, cavendum est. Minutissimis enim qui haeret in rebus, gravia etiam et universa interdum praetermittit, qua in re Scholtenium ipsum a recto aberrasse viri docti jure adnotarunt.

At contrarium haud minus est quod errorem fugiamus. Aliquoties susque deque haberi de nomine patiaris, ubi nullo paene sententiae discrimine cum simplici ἐγώ commutatur. Plerumque vero, si cetera simpliciter a Christo dicta nostris, qui circuitum enunciant, sermonibus diligenter contuleris, differentiam usumque dicendi a fortuito remotiorem agnosces. Saepissime enim ubi graviores sunt in Jesu verbis sententiae, sive mortem violentam, seu reditum ad vitam splendidamque futuram in coelis majestatem praenunciat, sive potestatem sibi traditam profitetur atque defendit, plerumque in synopticis libris nostrum nomen adhibitum est. In familiari autem et continuo sermone, quum vel de rebus minus insignibus disseritur, vel Christum animi quidam motus ad obiter aliquid de se proferendum adduxit, vulgarem loquendi modum usumque pronominum crebriorem inveni. Nec temere ita, si recte hoc a me animadversum est, diversam se

significandi rationem sequebatur. Jam enim in eo singularis quaedam vis sita erat, quod Jesus aliquod gravius ac futura maxime tempora spectans de se traditurus persona tertia utebatur, pariter atque de alio homine verba faceret. Mos fuit inter populos Orientem versus habitantes, ut multi infantium instar de se tanquam de aliis loquerentur: qua re ad nostram causam adhibita Paulus V. Cl. Christi quoque locutionem satis explanari putat. Sed neque ceterum in N. T. simile quid interpreti occurrit, nec sine causa Jesum, quum sic loqui consuesset, aliqua sermonis instituendi varietate dixerim gavisum esse. Accedit igitur opinor alia quaedam ratio. Cuique magistro de rebus omnibus cognitu dignissimis praeter se ipsum discipuli edocendi sunt, atque eo praestantiorem aliquem philosophum habebis, quo diligentius persona sua fortunaque neglecta doctrinam fundere queat. At Christo, ut etiam de se suoque honore et opere totam ad ceterorum vitam pertinente dissereret, non concessum sed propositum scimus fuisse. Idem ille fuit qui doceret et de quo esset disputandum: quum igitur nihilo minus ipsum, de quo dicebat, a se dicente haud raro distingueret loquendo, mirum in modum sermonis vi quadam incredibili commovemur. Grandia enim illa effata cujusnam non in memoria haerent animoque infixa: „jam videbitis ad dextram majestatis h. filium sedentem," „vulpes quidem speluncas habent, at f. h. etc." aliaque, quorum pondus nervosque demta illa periphrasi quisque sentiet deminui! Excitatur enim mens nescio qua verborum obscuritate, atque uti vehementer illis Jesu parabolis delectamur, in quibus personam aliquam sive filii a rege potentissimo missi sive satoris aliamve sibi imposuit, ita nostra quoque hominis filium quae nominat tum elegans tum gravitatis plena circuitio est. Ea vero dicta et alloquia, quae non tam erudiendi consilium peperit quam levior oc-

casio subitusve animi motus suppeditavit, qualia sunt v. c.: „quoties vos congregare cupiebam“ etc. vel: „nolite de me lacrimari filiae etc.“ ac similia multo minus vides ad usurpandam illam dictionem quadrasse. Sed ne exspectes, pleniorem cognominandi modum accurate et constanter a vulgari distineri: magis enim in synopticis evangeliis quam apud Johannem id discrimen servatum vidi. Singularia quidem effata prophetarum more edita magis quam fusa illa in Johannis libro ac perpetua Jesu oratio nostro nomine abundant, quod in extremis morituri servatoris adhortationibus ne semel quidem exstat. Ac per se clarum est, non tantum indole atque ratione sententiarum sed ipsa quoque formulae, quamnondum cognovimus, significatione loquendi usum constitui.

§. 28.
De vi articuli.

Ad externam formam usumque formulae id quoque pertinet, quod uno loco Joh. 5, 27 excepto, de quo infra fusius dicemus, articulum semper habet utrique vocabulo praefixum. Ab initio vidimus Messiae titulis omnino ad id articulo opus fuisse, ut certum quendam Christum, prophetam, dominum, Dei filium prae ceteris honore afficiendum declararent. Nostrum igitur *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* quod praedicat, ita expressum est, ut plus, quam vulgata verborum significatio efficiat, pronunciari unique homini cuidam nomen imponi intelligas. Emphaticam hanc articuli potestatem nemo mirabitur. Sed quum nonnullis Apocalypseos locis sine articulo legatur *υἱὸς ἀνθρώπου*, jam quid hoc sibi velit numque ab altero discernendum sit videamus.

Visiones scriptoris inde initium capiunt, quod dominica die vehementi animi fervore agitatum primam vocem altissimam se audivisse, tum vero oculis subla-

tis septem inter lampades conspicatum esse aliquem narrat ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου (1, 13). De nemine nisi de Messia Christo auctorem cogitasse, sequentibus verbis vs. 17. 18, ubi ille primum se atque extremum, mortuum et redivivum vocat, dilucide probatur. Verum ipsa verba ὅμοιον υἱῷ ἀ. i. e. aliquem homini similem, non quem viderit, sed qualis fuerit visus indicant; langueret enim clarior quae statim additur declaratio, si illis jam Messias esset nominatus. Ipsius igitur Danielis fortasse exemplum secutus, ut huic imaginandi generi probe consentaneum est, visionem suam non statim explicavit Christi voce aliave adposita, ne primo oculorum adspectu quem cerneret internovisse videretur, sed verbis subobscuris descripsit, unde Messiam eum intuitum esse divinares (cf. Ewald Comm. in Apoc. p. 99). — Alterius loci Apoc. 14, 14 major etiam cum antiquo vaticinio similitudo est. In candida nube aureaque corona cinctus hominis aliquis imaginem referens consedit (quorundam codd. lectionem ὅμοιον υἱὸν ἀ. fortasse genuinam Ewaldus recte interpretatur ὡς υἱὸν ἀ.). Ipsum Christum tanquam victorem in coelo apparentem a propheta celebrari, totius loci argumentum docet, etsi dubium eo reddi possit, quod angelus cum falce acuta coelestem aedem egrediens vs. 17 vocatur καὶ ἄλλος ἄγγελος, acsi prior quoque talis genius sit ὁ καθήμενος ἐπὶ τὴν νεφέλην. Quem enim v. c. vs. 6 alium angelum conspicit vates, is fuit ipsi a geniorum multitudine supra dicta discriminandus. Fuerunt itaque vide Ewald l. c. p. 249), qui vs. 14 de aliquo genio interpretari mallent quam de Messia. Sed negligentius ut saepius auctorem scripsisse putamus, quum alium angelum priorum numero vss. 6. 9 adjiceret. Ceterum dubito, num recte Winerus verborum καθήμενον ὅμοιον neutrum genus esse (aliquid homini simile) sequente masculino ἔχων statuerit (Gramm. p. 216). Neutrum locum ex nostri

nominis usu recte explicabis. Aliud est homini similem aliquem, aliud ipsum hominis filium appellare, neque prius de vivente Christo et in terra praesente adhiberi poterat, ut cui adventicium quasi hoc esset, quod videretur homo exstitisse staturam visibilem a mortalibus mutuatus. Illud vero in Apocalypsi obvium *ὅμοιον υἱῷ ἀ.*, si forte personae indicandae notam aliquam habet, eam facilius ad antiquae dictionis propheticae auctoritatem quam ad disertam Christi appellationem revocaverim.

Duobus his locis tertium Bretschneiderus in lexico apposuit Hebr. 2, 6, ubi laudatur Ps. 8, 5, qui locus si solus spectatur neque huc pertinet neque quidquam habet difficultatis. Supra enim, quae sit periphrasis illa Hebraica *υἱὸς ἀνθρώπου* pro simplici *ἄνθρωπος*, explicui. Sed auctor epistolae num Psalmi verba de hominum genere in universum an de Christo solo interpretatur? quod si posterius ei dices placuisse, num forsan ipsa formula *υἱὸς ἀ.*, ut de Jesu verba adhiberet, commotus est? Sequens demonstratio (vs. 8 sqq.), cujus causa Psalmistae dictum laudatum est, solum haud dubie Christum respicit, quippe quem Deus, morte ac tristissima calamitate perlata, coeleste jusserit imperium adipisci. Si tamen auctor priora vss. 6 et 7 de mortalibus omnino vel de recentis regni divini civibus proposuit, nihil fere, quod egisse eum putemus, relinquitur, nisi ut Christi fortunam cum universa hominum sorte tum afflicta tum honoris gloriaeque plenissima conferret, atque illum diceret et miseriam vitae nostrae degustasse et ex hac terra ad celsissimum in toto mundo locum esse elatum. Sed perspexerunt interpretum plerique, disputationem non a latiore idea ad singularem procedere solam in Jesu personam referendam, verum omnia et priore et postero loco dicta de eodem Christo, qui vs. 8 ter dicatur *αὐτός* (vs. 9 *τὸν δὲ Ἰησοῦν*), adhiberi. Utcunque se

res habet, quod luculente Bleek explicat in Comm. vol. II, p. 258 sqq., clarum est, hominem illum et hominis filium scriptori fuisse Christum redemtorem, veluti Paulus quoque eundem octavi Psalmi locum de domino interpretatur 1 Cor. 15, 27. Difficilius alterum dijudicabitur, num ille allegans verba poëtae disertum Christi titulum nostrum in animo habuerit ejusque voluerit lectores monere. Schulzio hoc etiam certum videtur, Bleekio verisimile, Tholuck conjectari posse concedit, sed in ipsa formula causam fuisse negat, cur auctor locum eligeret (vide interpret. ejus. p. 159). Nimirum si appellationis vel ignarus vel non recordatus fuisset, minus facile poterat ita ut facit (διεμαρτύρατο δέ που τίς) verba illa ad Christum maxime revocare. Quum vero res penitus dirimi mea opinione nequeat, neque nomen articulo distinctum sit, hunc quoque locum ut dubium a ceteris dictis deinceps enumerandis segregandum putavi.

§. 29.

Recensentur loci Messianae nominis notioni faventes.

Quibusnam classibus tantum dictorum numerum argumenti varietate differentium recte distribuerem, multum diuque haesitavi. Tandem, quoniam in primis quaeritur, num formula summam Christi potestatem et auctoritatem indicet an alius rei habeat respectum, commodum mihi visum est, conjungere locos, quibus talis significatio commendatur, alios vero magis ab ea alienos seorsum ponere. Johannei evangelii locos plerosque conjunctos explanare, quum aliquid commune et singulare habeant, quam admiscere ceteris malui.

Quod Christus homini paralytico (Matth. 9, 6. parall.), priusquam eum persanat, peccata condonata esse affirmat, id crimini ipsi a Pharisaeis datur. Respondet ille, peccata remittendi copiam hominis filio

datam esse. Hic facile cuique in mentem venit, quod Judaei tunc temporis a Messia, ut ex delictorum culpa homines eximeret, exspectarunt. Nec tamen Jesus haec professus Messiam se agnosci cupiebat, quum non sic fere dixerit: „scitis vos, indulgendi peccatis facultatem datam esse filio h., itaque nunc hoc nomen jure mihi tribui noscetis", verum stricte ad suam personam ut videmus titulum retulerit. Sed nescio an verba ἐπὶ τῆς γῆς cum ἀφίεναι conjungenda, quae in trium librorum textu leguntur, ad accuratius explicandam sententiam faciant. In terra h. f. versatur lapsis veniam daturus, quem deceat homines commonere, ne praesente ipso aliunde vel de coelo indulgentiam repetant. Sic Christum hominem opponi Deo invisibili improborum arbitro et potestatis divinae vicarium dici jure de Wettius aliique adnotarunt, ita ut eum se vocasse videatur τὸν υἱὸν τ. ἀ., cui in terra nato coelestis quaedam auctoritas tuenda et obtinenda esset.

Aliud dignitatis summae, quam h. f. possideat, specimen loco vexatissimo exhibetur Matth. 12, 8. parall., ubi Jesus discipulos defensurus, quos Pharisaei propter spicas sabbati die vulsas reprehenderant, Davidis licentiam, qua usus panes sacros comederit, atque sacerdotum quorundam quietis festivae turbatorum impunitatem contestatur. Vocem μείζων Matth. vs. 7 ad Christum sine dubio referes vel minime istis legibus obstringendum. Tum vs. 8 ad eundem tanquam sabbati et sacrorum principem respiciet: neque lectioni μείζων ea de causa cum Fritzschio diffido, quia Christus superbe esset locutus templo praestantiorem sese dicens, sed criticis cedo alterum μεῖζον praeferentibus, quum praesertim sensus verborum μείζων τοῦ ἱεροῦ quodammodo vacillet. Eo major de vs. 8. nobis dubitatio offertur, quem primum Grotium et post eum Clericum in Hammondi Novo T. aliosque propter Marci verba vs. 27 non de Messia verum de ipsis omni-

no hominibus interpretatos esse scimus in hunc modum: „quemadmodum, inquit Jesus, omnia hominum gratia instituta eorum commodo atque emolumento inserviunt, ita sabbati quoque colendi lex non tam imperat rebus humanis, quam accommodata est, cui illi tanquam domini praesint". Quam neque veram Christoque dignam esse negabit quisquam, neque Marci textu vehementer sententiam commendari Fritzschio, qui Grotium sequitur, non concedet, quum id aperte argumentationis nexus suadeat (ὥστε κύριος), ut h. f. nullum nisi hominem in genere dictum putemus: tantum non sic accipere cogimur. Non plane recusant verba, quin ita interpreter: „propter homines quoniam dies sanctus est, tanta auctoritate f. h. valebit rebus sacris illorum causa constitutis praepositus, cui sabbati etiam observandi officium cedat", ubi media sententiae quaedam pars haud difficile mente suppletur. Matthaeum autem et Lucam secutus, quin unum Christum τὸν υἱὸν τ. ἀ. recte intelligam, non dubito. Hoc enim non tantum nominis forma cum articulo conjuncti verum eo maxime postulatur, quod multo aptius est, Jesum cum Davide et sacerdotibus impune ferentibus neglectas leges se ipsum comparare, quam praemissis illis exemplis ad tam generalem, quae non egeat eo argumento, sententiam abire. Jam igitur si Jesum hoc loco potissimum filium h. habemus, num quod dixit in illud vulgare diluam: κύριος γάρ εἰμι τοῦ σαββάτου? quin imo hominem insignem regno novo in terra condito sacrisque praefectum indicari puto, quo majus fiat enunciationis pondus, quo rectior in Davidem regem provocatio. Afferunt etiam multi interpretes, quod Judaei tunc Messiam sacra omnia mutaturum et restauraturum esse sperabant. Volebat tamen suam magis potestatem defendere ut nuncii divini inter homines versantis, quam auctoritatis Messiae tribui solitae Pharisaeos commonefacere. Nullum igi-

tur ex usitatissimis Messiae cognominibus sibi vindicavit (conf. Fritzsche in Matth. p. 424).

Priore illa difficilior Christi de peccatis aut remittendis aut non remittendis declaratio legitur Matth. 12, 32 (Marc. 3, 29. Luc. 12, 10), in qua contumeliae in spiritum sanctum nefarie dictae adversa ponuntur, quae in h. filium impie commissa sint. A vulgata versuum interpretatione Grotium iterum (vide ejus adnot. in N. T. tom. I, p. 255) ita discedere video, ut articulum saepius notionis generalis signum esse ratus verbis κατὰ τὸν υἱ. τ. ἀ. non Christum vel Messiam sed quemvis hominem illo quidem non excepto dicat significari hoc sensu: „innocentem calumniari hominem quum omnino foedum turpeque sit, gravissimum scelus, cujus nulla possit venia impetrari, illud habetote, si quis Dei ipsius vim et operam detestari et opprobriis polluere audeat.“ Cujus explicationis, cui nihil favet, nisi quod apud Marcum vs. 29 nomen f. h. non reperitur, vix ulla refutatione opus esset, si non Fritzschius ipse verissimam eam esse censuisset. Sed probata Grotii interpretatione paene nihil novi continebit vs. 32 (Matth.), ac pro καὶ ὃς ἂν expectem potius ὃς γὰρ ἄν. Deinde quis non intelligat, Christi responsum, quo de Judaeorum in ipsum contumelia judicium fiat, actissime cum praecedentibus cohaerere! Denique languidum id ac nimis in promtu positum putem, maledicta discerni aut in omnes homines aut in spiritum Dei conjecta, illud vero longe subtilius et aptius, si Jesus sibi quidem homini leviores, robori autem per ipsum valenti gravissimas calumnias inferri explicet. Quodcumque igitur de solius Marci textu judicabis, apud Matthaeum certo certius est et plerorumque virorum doctorum auctoritate firmatum, soli Christo agnomen imponi, cujus paucis locis tam insignem usum et vim deprehendes. Non sufficit quod Clericus dicit, Christum denotari, „quatenus in

infirmo naturae humanae statu adparuit, et ut filium Mariae, seposita magna illa doctrinae et miraculorum auctoritate.“ Ipsi enim Messiae in Christo auctoritati ita Judaei adversari poterant, ut summae illi culpae nondum obnoxii essent. Rectius qui rem difficilem indagarunt permulti, omnem Jesu ut servatoris locum externum atque vitam munerisque obeundi rationem, personam denique ipsam comprehendi nomine statuunt. Haec enim ut homo in terra gessit et exercuit, internam vim cum patre habuit communem. „Adversus me, inquit, quamquam Messiam tamen humano vitae cultu utentem facta criminatio aliquo modo excusari potest: spiritum vero, per quem omnia exsequor, si quis detestatus est, in omne aevum de salute desperato.“ Minus idoneo loco hoc judicium Luc. 12, 10 sermoni Jesu interpositum est, postquam modo dixit, coram angelis h. filium nos tanquam suos esse professurum, qui in amplectenda ejus auctoritate perstiterint.

Cum Johanne se Christus comparat Matth. 11, 19, post quem ob mores suos valde austeros summamque vitae abstinentiam populo suspectum in publicum dicit prodiisse h. filium, eumque, quum victum communem et multorum hominum consuetudinem non detrectarit, jam contrariam Judaeorum reprehensionem subire. Ad verba ἦλθεν ὁ υἱ. τ. ἀ. nihil Fritzsche nisi: prodiit is qui vobiscum loquitur. Sed nescio an eum se significet, ad quem ut ad Johannem prophetam medios inter homines versantem publica omnium aestimatio pertineat.

Parabolae notissimae a Jesu explicatae exemplum habes Matth. 13, 37, ubi non simpliciter se ipsum ait, verum hominis filium boni seminis satorem esse. Primum quisque sentiet, quod supra monebam, aptissime hoc loco agnomen a Jesu usurpari. Praestabat enim, Jesum sibi quoque personam aliquam imponere nominibus reliquis: ὁ κόσμος, ὁ διάβολος, οἱ ἄγγελοι

accommodatam, quam eum sine ullis ambagibus per nudum induci ἐγώ. Deinde ipsius similitudinis argumento locus munusque illius filii h. optime describuntur, in quo utrumque conjunctum sit, ut et in terra degat mortalium omnium generi cognatus, et res non ex hoc mundo ortas administret. Cujus honoris haud frustra hucusque in titulo indicium quaesivimus.

§. 30.

Loci a Christi munere et dignitate declarandis remotiores.

Quamquam in sermonibus supra laudatis non in hunc modum formulam ὁ υἱὸς τ. ἀ. adhibitam reperimus, ut cum Messiae voce commutanda vel ad ipsam ejus notionem referenda esset, cernere tamen aliquam in ea eminentiae inter homines magnaeque potestatis significationem mihi visus sum. Neque vero hanc vim honorificam ubique conspicuam habebis.

Jam enim primus locus, quo Christus phrasin illam adhibuisse fertur, minime ad eximiam quandam vicem humanam spectat efferendam. Legis perito se Christum sectari velle quemcunque locum petiturum ingenue professo respondet ille: „sunt ipsis animalibus habitacula, sed h. filio nulla in qua requiescat sedes.“ Fortiorem hanc sententiam eo reddi, quod non per disertum ἐγὼ ἔχω expressa est, quisque percipit. Cum animalium vice recte humana vivendi ratio confertur, quam illa ab omni parte praestantiorem esse deceat. Verum ejusmodi est hoc dictum, cui facilius inferae conditionis quam honorum quorundam significatio accommodetur, quocirca multi interpretes filium h. pro contemto aliquo gravibusque molestiis laborante acceperunt. Vereor tamen, ne sic sententiae pondus infregerint. Quo clarius enim afflictum esse hominem Jesum ipso nomine indicatur, eo minus singulare et insigne est, quod h. loco de se dicit. Itaque non tam

miseriae statusve humilis quam omnino humanitatis notam ab illo, cujus alta ceterum dignitas est, susceptae retineam, quacum istae etiam vage vivendi molestiae suscipiendae fuerint. Paulus (Bibl. Commentar I, p. 340) et Fritzsche iterum justo strictius ni fallor ad vim pronominis dictionem redegerunt explicantes: ille homo, qui jam tecum loquitur.

Deinde locus supra jam a nobis tractatus Matth. 16, 13, quo discipuli Judaeorum de Jesu opiniones renunciare jubentur, denuo in disceptationem vocandus est propter verba Jesu: *τίνα με λέγουσι — τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*, quae extrema non aegre ferimus apud Lucam et Marcum desiderari. Quomodo enim haec recte conjungam *μέ-τὸν υἱ. τ. ἀ.*? Potest phrasis aut pro appositione addita esse, aut commate interposito post *μέ* ipsam interrogationem continere. Posterum praeferentes Beza aliique Epiphanium secuti sic vertunt: quemnam me esse existimant? num forte hominis filium i. e. Messiam? Sed haec illius quaestio est, ut egregie admonet Fritzsche, qui anxie quodammodo id curet ac vel potius nolit Messias a populo haberi. Neque Jesum, quum tam frequenter coram multis sese hominis filium vocarit, probabile videtur, jam de eodem ceterisne persuasum esset curiose interrogasse. Tum vero appositionem qui statuit, molestum esse concedet, cum aliqua pronominis forma phrasin nostram conjungi, quod nusquam alibi reperitur: nam eum plerumque locum tenet agnomen, quo illud *ἐγώ*, *ἐμοί* ac tale quid supervacaneum fiat. Nec tandem articulo prohibente per trajectionem *τίνα* cum *τὸν υἱὸν τ. ἀ.* connectere licet hoc modo: quemnam vel qualem me esse dictitant filium hominis? Quare non ingratum criticis fuit, non omnes codices importunum illud *μέ* exhibere, quod recte forsan aboleas. Si vero tenendum nominisque verba pro appositione sumenda sunt, supererit expositio haec: quem me esse

censent homines, eum videlicet h. f., quem a me ipso memet nominari scitis? quid amplius de me arbitrantur, qui tenuem hominis suscepi mihíque palam tribui statum? Haud male Calvinus: „nunc dum carne indutus in terris versor tanquam unus ex hominum numero, quodnam de me est judicium“? isque Grotio rectius his verbis utente: „me inquam, qui omni paratu exteriore nihil praeter de plebe hominem praefero.“ Cum Meyero dixerim, propterea Jesum hoc tempore tam ambiguum nomen sibi tribuisse, quo melius Judaeorum opiniones atque sententiam discipulorum cognosceret. Etenim id nemo dubitabit, propter quod totus locus gravissimus nobis est, quin appellatio hic non possit idem valere cum altera Χριστός neque sic ab audientibus intellecta sit. Alioquin enim, sive Christus cupiebat sive nolebat Messias ab hominibus haberi, in ipsam interrogationem responsi aliquid inserere vix poterat. Ac praeterea Petri judicium quam insignem laudem commeruit, si ille nihil dixit, nisi quod ex verbis praeceptoris modo auditis comprehenderat? Vides hinc, optimo jure inter voces Χριστός et ὁ υἱ. τ. ἀ. vel sententiae vel usus diversitatem aliquam proponi.

Vel uno verbo tangere liceat, quod Judam perfidiose eum salutantem hisce Jesus alloquitur: tune osculo f. h. proditurus es? ut quasi ille eum hoc nomine eorum omnium commonefiat, quae dominum vel egisse vel docuisse cognoverat.

§. 31.

Hominis filius moriturus.

Quae de rebus futuris Jesus vaticinatur, quum pleraque suam ipsius fortunam tum lugendam tum admirabilem divinoque decore cumulatam spectent, non admodum miramur, quod in iisdem sermonibus tam frequenter titulus occurrit. Nam gravissima quaeque

uberioribus verbis et egregiis exprimi aequum est. Obscurius primum et quasi tecto ore ab eo praedicitur, fore ut ad Jonae similitudinem pisce devorati terra hauriat filium h. teneatque per tres dies sepultum (Matth. 12, 40. Luc. 11, 30). Terram igitur quem hucusque ut hominem sustentasset, eum tunc recepturam esse tegumine suo condendum. Sequens vaticinium legitur Matth. 16. 21 idque ita dilucidum, ut valde mireris, quomodo discipuli postea in eventu rerum tantopere haerere ac trepidare potuerint. Pro ὅτι δεῖ τ. υἱ. τ. ἀ. apud Matth. legitur ὅτι δεῖ αὐτόν. Tum hic adde ejusdem argumenti locos Matth. 17, 22 parall., ubi in manus hominum (εἰς χεῖρας ἀνθρ. cf. Matth. 26, 45. Marc. 14, 41 εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν) eum legimus traditum iri, quod praesagium priore paullo obscurius auditores illi non satis perspexisse dicuntur. (Marc. vs. 32, Luc. vs. 45), ac denique ultimum effatum clarissimis verbis expressum Matth. 20, 19 parall. In extremo hoc ne verba Lucae propria omittamus: τὰ γεγραμμένα διὰ τ. προφ. τῷ υἱῷ τ. ἀ. (cf. Marc. 9, 12 ἐπὶ τὸν υἱὸν τ. ἀ. et Luc. 18, 31), quae ei demandata et quasi dicata in libris sacris exstant. Neque aliter dicit Jesus Matth. 26, 24 coll. parall.: e vita demigraturus est f. h., sicut scriptum est de ipso. Talia rursus, ut de Messiae in libris sacris celebrati dignitate nomen explicemus, suadent. Vide etiam, quam stricte titulus ad solam Jesu personam insigniendam adhibitus sit: hic enim in eadem sententia et Judas appellatur ὁ ἄνθρωπος et Christus ὁ υἱὸς τ. ἀ.

Omnino aptissimam his locis filii hominis appellationem dixerim, quibus extremum mortis discrimen Christus subiturus esse fertur: nec tam apte in his vaticiniis vel Christum se vel Dei filium poterat nuncupare. Homo qui natus est, non habet a se aliena, quaecunque perpeti eum necessitas jubebit. Sed non ut nostrum aliquis Jesus occubuit, quem neque op-

pressit crux nec sepulcrum retinuit, sed ut mortis victorem dimisit. Hinc plerumque morti praedicendae resurrectionis etiam nuncius adjungitur, ex quo utrumque, ut et deponeret vitam et recuperaret, aeque homini illi destinatum esse intelligamus. Addam tantum, quod discipuli postquam in monte Jesum luce coelesti collustratum conspexere, ne cui visum enarrent, priusquam h. f. e mortuis sese eripuerit, admonentur (Matth. 17, 9. Marc. 9, 9): hic enim ille se ita cognominat, quem modo insigne prodigium toto Dei filii splendore exornavit. Majoris momenti est, quod ibidem paucis versibus interjectis animadvertimus. Jam enim discipuli de Eliae praegressione a Pharisaeis promitti solita quid statuendum sit, interrogant, atque ex responso Christi colligunt, Johannem pro ipsius praecone et antecessore habendum esse. Nexus quidem hic cum praecedentibus non satis clarus est: sed Christus, se esse Messiam, quem propheta quidam praenunciaturus sit, non diffitetur, nec tamen post Eliam modo dictum se *τὸν Χριστόν* appellat, sed vulgari nomine usus etiam hominis filium multa per Judaeos passurum esse profitetur.

§. 32.

Filius hominis olim ad mundum rediturus.

Sed hisce minime finita est Jesu de rebus suis futuris vaticinatio. Is enim cum crudelissimae mortis supplicio reditque ad vitam etiam gloriam coelestem, quam esset relicta terra capturus, et honores omnes, quibus praeditus rursus aliquando hominibus afforet, prospexit. Ut in antecedentibus hoc dictum laudavimus: *ὁ υἱὸς τ. ἀ. ὑπάγει*, sic locis subinde enumerandis alterum illud praeponendum est: *ὁ υἱὸς τ. ἀ. ἔρχεται* (Matth. 24, 44). Servorum enim, qui domum custodiant, diligenti dicit cura atque custodia opus esse,

ne reversus de improviso dominus imparatos omnes deprehendat, vel irrependi in aedes furibus opportunitas detur; ita homines reducem aliquando f. h. debere opperiri (Luc. 12, 40). In ipsa similitudine adumbranda rediturus ille ὁ κύριος appellatur (vs. 37), dum Jesus vs. 40, de quonam domino maxime dixerit, ex nomine nostro intelligendum audientibus indicet.

Apud Lucam et Matthaeum multus est Christus et copiosus in extremo hoc totius vitae discrimine illustrando et in rerum, quae praecessurae vel simul eventurae sint, descriptione. Luc. 17, 22 id tempus, per quod discipuli una cum ipso in terra vivere poterant, spectatur verbis: μία τῶν ἡμέρων τ. υἱ. τ. ἀ., ejus quippe, qui spretus a Judaeis non tantae esse sortis neque dignitatis videatur. Sed statim infra ἡ ἡμέρα αὐτοῦ (vs. 25 cf. 26) quid aliud est, nisi olim appariturae et adventurae majestatis ejus tempus? erravit enim Grotius, priore etiam loco ultimum regni coelestis exitum indicari putans. Cujus eventi grandis et admirandi clarissimum nomen reperimus Matth. 24, 27. 37. 39: ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τ. ἀ.; illa visio, qua sit futurum, ut h. f. multis stupendisque prodigiis antegressis iterum fiat conspicuus (ᾗ ἡμέρᾳ ὁ υἱ. τ. ἀ. ἀποκαλύπτεται). Non occultum fore neque unius regionis finibus inclusum hominis illius adspectum, verum per totum mundum fulgentem, celeritati fulminis ac splendori comparandum dicit Luc. 17, 24. Matth. vs. 27. Vehementer interpretum sagacitatem Matthaei verba vs. 30 exercuerunt: τὸ σημεῖον τ. υἱ. τ. ἀ., de quibus Schottum in opusculis tom. I, p. 208 sqq. disputantem cum utilitate audies. Quod illis adjicitur: ἐν τῷ οὐρανῷ, cum nomine ipso jungendum esse, ut sensum haberet: tum documentum comparebit, ex quo f. h. in coelo regnare pateat, — Schott et Fritzsche recte negaverunt. Itaque aut certum ali-

quod et clarissimum Messiae appropinquantis specimen quocunque modo describendum, alius enim aliud opinatus est, aut visus ipse Messiae significatur, quod posterius Fritzschio placet sic vertenti: „prodigium f. h., i. e. miraculum, quod Jesus ut Messias revertens in coelo conspiciendum oculis objiciet.“ Tum sequentia declarant, qualis futurus sit venerabilis hic adspectus. Etiamsi in toto hoc Jesu sermone, quid de rebus sensibus percipiendis, quid improprie de invisibilibus recte intelligamus, valde ambiguum et judicatu difficile sit; elucet tamen, illas quidem multasque voces priores sine dubio visibilium rerum atque externarum imaginem depingere: licet scriptor non singula quaeque ita, ut Christus dixit et cogitavit, retulerit. Quum igitur Christi etiam magnifica visio ad ea pertineat, quae tunc non mentibus tantum verum oculis quoque hominum obventura sint, quanam hunc hominis filium specie induemus nisi eadem nomine ejus indicata? Itaque hominis figura imagini loco celebri vs. 30 aliisque compluribus adumbratae inserenda est. Etenim in nubibus vectum, inquit (cf. Marc. 13, 26. 27), magna cum potentiae suae ac splendoris claritate videbunt eum, qui ingentem inter tubae clangorem angelos emittet, electos suos undique convocabit. Ac de improviso omnia veluti clades a nemine exspectata accident, quae cum adventu ejus extimescendo erunt conjuncta (Luc. 21, 36. Matth. 24, 37 sqq.). Neque judicia extrema habenda cuiquam praeter filium illum hominis tribuentur, qui pro merito suo unicuique aut pretia aut poenas exsolvet (Matth. 16, 27) tradique jubebit impios supplicio diro (Matth. 13, 41. 25, 31). Ministros habebit angelos (οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ), per quos improbi undique e toto regno cogantur. Quod Jesus dicit Luc. 12, 10, se coram angelis h. f. (ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τ. θ.) cultorum suorum vindicem et patronum fore, ea dictio est, quae extremi judicii ma-

gnificentiam spectet. Parabolae de injusto ac difficili arbitro narratae eodem pertinens Jesu interrogatio adnectitur Luc. 18, 8: an reversus f. h. in terra (scil. Palaestinensi potissimum) fiduciam talem reperiet? Uno loco Matth. 19, 28 in fine saeculi ipsa rerum universarum renovatio (παλιγγενεσία) collocatur, qua sit futurum, ut f. h. eminenti in solio considens totaque nitens sua gloria discipulos etiam duodecim tribuum Judaicarum judices constituat.

Nemo fere lectitatis hisce dictis egregiis non antiquum illum hominis visum reminiscetur, neque mirum habebit, quod hic maxime viri docti ad Danielis visionem respicientes Messiam nomine nostro significari statuerint. Brevissime Straussius p. 528 notat, quo pacto tam incertae lataeque potestatis titulus Messiae soli inhaerere potuerit, e locis Matth. 26, 64 et Dan. 7, 13 inter se comparandis intelligi. Utroque enim nubibus vectum ac splendentem hominis filium similibus verbis describi. Vellem accuratius V. Cl. rem explicuisset: quaeritur enim, utrum per mythicam aliquam sermonis Christi exornationem translato ad Jesum nomine novus jam hominis filius ad veteris exemplum conformatus sit, an ipse Jesus de futura sua praesentia coelesti prophetam cecinisse ratus ideo agnomen etiam illud sibi assignaverit. Prius si cui placet opinari, aegre demonstrabit, qua ratione appellatio ad alia tam multa Jesu apophtegmata a Danielis loco prorsus aliena transierit. Alterum si praefertur, non simul de probata Judaeis significatione nominis constabit. Utramque opinionem fortasse ita Straussius conjungat, ut Jesum quidem dignitatem suam illustrandam prophetae cogitationi accommodasse, evangeliorum autem scriptores verba ejus similiora etiam oraculo veteri reddidisse existimet. Neque vero quibus rebus differat utraque repraesentatio omittendum: Danielis enim Barnasch advenit, ut imperia magna po-

tentissimis terrae regibus erepta per Deum obtineat, Christus vero h. f. cernitur ut coelesti jam potestate omni ornatus, vel ad suum, quo dudum potitus esset, regnum reversurus: ille ad senem judicem nubibus advehitur, hic ipse judex est majestatis ad dextram sedens, vel discipulis etiam ac ministris habenda committit arbitria. Ne ipsa quidem formula καθῆσθαι ἐκ δεξίων δυνάμεως illic apud Danielem legitur. Possis etiam monere, quod neque alias unquam neque hisce in vaticinantis Christi sermonibus, ubi vel maxime expectari poterat, illud ἵνα πληρωθῇ Matthaeo quidem usitatissimum in antiqui vatis praesagium adhibetur. Itaque Christus illum testem non adeo stricte secutus est, ut cogitatio ejus ex hoc fonte repeti debeat nec possit intelligi absque eo auctore, verum ideam animi ipsius propriam et cum omni apud synopticos disciplina arcte cohaerentem de reditu Christi servatoris perpetuoque cum ecclesia commercio ad aliquam testimonii veteris similitudinem expressit. Explicavit alius Vir Cl. de Ammon data hac occasione, non edoctum esse quodammodo Christum a Daniele, sed quod ille praedixisset, sibi esse exigendum, libere clareque ultro intellexisse. *)

Mihi quidem, si quid sentio, Christi praesagium de reditu suo arctius cum prioribus de morte et resurrectione effatis conjungendum videtur, quoniam omnia haec ejusdem nominis usurpatione excellunt. Quem crucis supplicium oppresserit, quem tum Deus ad vitam jusserit expergisci, eidem celsissimum tandem in regno divino locum, de quo ad homines rediturus sit, paratum esse dicit. Novissimo etiam tem-

---

*) Cf. Fortbildung des Christenth. I, p. 252. 53, qui locus speciosior sane quam clarior stupenda cum sedulitate per viginti fere paginas examinatur apud Boehmium, pariter atque scriptoris antiqui dictum explicandum ipsi contigerit.

pore principem eum conspicabuntur, quum per coelum in victoriae quasi pompa lucebit, cui angeli omnesque vires divinae aderunt exercendae, et in medio triumphi ductu hominis filius sedebit, cujus sedes altissima quaeque amplitudine sua exsuperat. Unus igitur est et humilis cruciatusque et sublimis f. h.: qua nominis aequabilitate tum gravior tum magis continua redditur vaticiniorum series. Num vero Christus futuram etiam praesentiam ad eundem h. filium referens humana se specie indutum ad terram reversurum esse docebat? Olshausenius quidem hoc inde collegit, quod ex ipsis locis conjici posse non diffitemur. Neque ulla forma, qua dominus regni sui civibus iterum sese offerat, humana nobilior est. Tantum illud nescimus, sintne in Jesu sermone non accurate ut videtur a scriptoribus literis mandato ad verbum singula quaeque tenenda ac de rerum externarum visu intelligenda. Dubito equidem, an altiorem etiam ideam liceat e verborum quasi velamento evolvere. Profecto enim ad totum genus humanum et inprimis ad Christianorum ecclesiam gloria decusque ab illo hominis filio redundant; quem si in mundo universo, quantacunque rerum immutatio instet, tantopere in sempiternum eminere angelisque fore superiorem docemur, nobis etiam haec erit justissima ratio, qua illi homini adhaerentes quanti nos simus, quam insignes et nobiles et erecti, expendamus.

De exoptando Christi ad homines reditu, quem regni totius consummatio secutura sit, quum epistolarum quoque auctores inprimisque Paulus saepenumero verba faciant, notandum quam maxime est, quod nunquam talibus locis nomen nostrum adhibuerunt. De unico loco fortasse illuc referendo Hebr. 2, 6 supra sumus locuti.

Sed exstat apostolorum in Actis aliud dictum, cujus opportuna hic fit mentio. „Ecce enim," clamat Stepha-

nus 7, 56, fervida oratione habita, quum anima protomartyris e corpore semimortuo evolaret, „ecce coelos video reclusos hominisque filium ad Dei dextram stantem!“ Solutis oculis animoque ferventi quae species obversata sit, non nostrum est investigare: cernere enim id, quod iis verbis declararet, sibi videbatur. Quod vero Christum Matth. 26, 64 dicipulis pollicitum esse legimus, moribundo jam primo Stephano id contigit. Sed cur ille non sedere ut supra, sed stare prope Deum (ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα) dicitur? Respondent multi cum Gregorio M.: „quia sedere judicantis est, stare vero pugnantis et adjuvantis.“ Simplicius Knappius (scripta var. pp. 47. 48) στῆναι valere versari, locum tenere explicat: alterum enim καθῆσθαι magis ad integram majestatis imaginem pertinet his verbis non adumbratam. At nihil hoc ad nostram causam: nihilo secius illum se intueri fatetur, quem et hominem fuisse et ad Deum rediisse nomineque isto gavisum esse noverat. Id unum quaeres, num e solis Jesu sermonibus nomen didicerit, an aliunde etiam tanquam Messiae titulum compertum habuerit. Boehmio prius videtur, qui ita verborum sententiam describit p. 28.: „illum video, quem toties se atque inexplicabili modo (?) h. filium vocasse novimus“. Haud dubie Stephanus facilius hoc tempore consuetudinis ejus, qua Jesus de rebus futuris loquens ita se dicere solitus erat, quam alius cujusdam, si qua de illo nomine manabat, famae recordatus est.

Angeli etiam semel in verbis nomen deprehenditur Luc. 24, 7, qui obviam factus discipulis Jesu emortui corpus quaerentibus reminisci eos jubet, quid ille de filii hominis morte et resurrectione vaticinatus sit. Ipsius igitur Jesu verba iis quae laudavimus simillima repetuntur.

§. 33.

Loci Iohannei.

Sermonum Christi, quos Johannes memoriae mandavit, id proprium esse supra vidimus, quod multo frequentius Dei filium sese appellasse fertur quam hominis, quod nomen decies tantummodo positum et ita usurpatum reperies, ut magnam esse cum priore illo sententiae cognationem pateat. Quod igitur Ewaldo persuasum est: „Jesum ipsum modestia permotum verecunda se potius τ. υἱὸν τ. ἀνϑϱ. nominare voluisse; ceteros vero Messiae significantius et gravius nomen ὁ υἱὸς τ. ϑεοῦ ei dedisse, adeo ut ambiguitatem illius hoc nomine evitarent“ (cf. Comm. in Apocal. p. 99), etiamsi hoc evangeliis reliquis aliquo modo defendi possit, Johanneis certe Jesu sermonibus non commendatur, quippe qui clarissime illius tanquam Dei filii honorem et dignitatem illustrent. Quum vero vel in titulo adhibendo vel notionem ejus quod attinet Johannes a testibus tribus quodammodo differat, illisne an huic plus tribuendum potiorque fides habenda sit, dubitabis. Sunt qui et in pluribus rebus et in hac causa longe Johannem synopticis posthabeant: sic Boehmius quod statuit, maximam partem ex Matthaei Lucaeque testimoniis derivavit, quum Johonnis loci non multum ut dicit singulare atque certum contineant. Alii contra, e quibus Neandrum et Tholuckium nomino, sine dubitatione quarti evangelii auctori priores partes concesserunt, ex eo potissimum nominis significationem repetentes. Jam igitur quales sint illi loci, quid declarent videamus.

Joh. 1, 52 Jesus, quem modo Nathanaël Dei f. et regem Israëlis esse professus erat, incredibilem gloriam ac splendorem, quo inde ab illo obeundi muneris tempore in perpetuum exornandus sit, per insignem similitudinem repraesentat. Reclusum enim coeli al-

tum spatium homines visuros esse, de quo descendant ad h. filium et ab eo sursum ferantur angeli. Continuum fore supremae regionis cum terra commercium, geniorum illorum Deique nunciorum descensu et ascensu indicatur. Eum vero hominem, ad quem ex alto devolent redeantque ab illo, propinquum coelo esse sentiunt, adeo ut quasi peregrinatione sua inter homines ipsis angelis quaerendam et frequentandam praebuerit terram. Auctoritatis etiam venerandae hoc illustre documentum est, quod qui cunctis mortalibus natura praestant, unum illum hominis filium adituri dicuntur: ut Cyrillus explicat: *ἀναβαίνουσι ἐπὶ τὸν υἱ. τ. ἀ. ὑπηρετοῦντες καὶ διακονούμενοι τοῖς αὐτοῦ διατάγμασι.* Tantis his laudibus nonne eodem modo exornandus erat Dei natus? Quare hoc loco vetus interpres aliquis ideo alterum nomen adhiberi censet, ut Christus ipsis angelis colendus habeatur verus homo, non putativus: e recentioribus Tholuckio naturae humanae veritas declarari visa est. Sed non, quid e verborum sententia colligi possit, sed quaenam sit et quid contineat, quaerimus. Facilius Neandro assentiar (Leben Jesu p. 131. edit. I.) in eo vim loci positam esse dicenti, ut per communionem quandam Jesu hominis cum coelo summisque viribus divinis sustinendam humana ejus natura celebretur, tametsi nomini non subsit distincta humanae naturae signifiatio. Num vero Nathanaëlem ceterosque praesentes eam sententiam cum proxime praecedentibus non cohaerentem intellexisse crederes: „subinde naturam meam ut hominis illustratam videbitis“? Clarum est, Christi verbis majus quoddam altiusque, quo permotus Nathanaël Messiam eum dixerit, declarari. Video enim, quo spectet *μείζω τούτων*, non esse tantum filii h. sed coeli super ipsum patentis, sed angelorum adventantium imaginem totiusque regni,

quo Christus in medio constiterit, coelestem prorsus lucem et splendorem. Ad imaginem hancce adumbrandam, ut *τὸν υἱὸν τοῦ ἀ.* hoc loco se appellaret, necessarium quidem non erat, verum pulchrior pleniorque adhibito nomine sententia redditur. Jam enim in terra degentem Jesum cernere, quem adeant salutentque Dei nuncii, jam homine natum, in quem ut conditorem rerum divinarum superne omnis gloria demissa sit, simul contueri jubemur. Si quid igitur hic valet nomen, Jesum indicat etsi ex hominibus ortum superis tamen rebus affinem et propinquum.

Quod illo loco ex angelorum sursum ac deorsum commeantium imagine intelligimus, clarius etiam Christus de se profitetur 3, 13, quae verba haud minorem disceptandi copiam dogmaticis praebuere. „Nemo, inquit, ad coelum et res coelestes adscendit nisi h. f. inde profectus, qui est in coelo." Prius illud *ἀναβέβηκεν* ita accipiendum est, ut ex altero *καταβῆναι* consequatur: utrumque tertium comprehendit: *ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ*. Unde originem duxit h. f., eo mente effertur ad divina quaeque haurienda et perspicienda, ut semper in ea regione versari dicendus sit. Sed quoniam nomen quidem illius est, qui ut homo in terra vivit, quo jure contrarium hoc loco ei attribuitur? Facilius ad Dei filii notionem altissima numinis rerumque coelestium cognitione imbuti exspectes sententiam referri (vs. 12). Quod quum antiqui sentirent interpretes, non hic humanam Jesu naturam verum totum Christum nomine insigniri statuerunt, cujus alteram partem apud Deum versari, hominibus alteram interesse. Non inepte Chrysostomus hom. XXVII. in Joh.: *υἱὸν δὲ ἀνθρώπου ἐνταῦθα οὐ τὴν σάρκα ἐκάλεσεν, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς ἐλάττονος οὐσίας ὅλον ἑαυτὸν, ἵν᾽ οὕτως εἴπω, ὠνόμασεν υἱόν* (cf. Corderii catenam p. 95), quamquam nullibi naturae humanae solius agno-

meu illud esse affirmare debebat.*) Quin homine natus esset praeceptor cum ipsis colloquens, nemo dubitabat: quod vero docendi et admonendi fuerunt, illud est, terrigenam hunc summae etiam regionis, in qua profundissimi veritatis lucisque thesauri laterent, incolam quasi et habitatorem esse. Poterat ad id ipsum explicandum alterum quoque nomen, ut saepius fecit, adhibere, quo utitur sequenti statim versiculo missum se esse dicens filium a patre servandorum hominum causa. Sed priore loco nostro, quum non ad patrem Deum simul provocet, sed in universum terrestribus coelestia opponat, aptissime hoc nomen suum usurpat, quo medius quodammodo inter utraque constitisse neque ut terrenarum particeps rerum ita ab alteris dicatur alienus esse.

§. 34.

De loco Joh. 5, 27.

Nullus opinor inter omnes locos ad interpretandum nobis datos hoc quidem dicto difficilior et obscurior est, quo nec sententia expedite prodit, nec statim liquet, cur nomen adhibitum sit, et formula ipsa articulo carente offendimur.

---

*) Theophyl. ex versione Oecolamp. Colon. 1701, p. 529. 30: „F. autem hominis quum audiveris descendisse de coelo, ne existimes, quod caro e coelo descenderit. — Verum quia una hypostasis h. e. una persona Christi ex duabus personis constituta, ideo omnia quae sunt hominis, dicuntur de verbo; et iterum ea quae sunt verbi, attribuuntur homini. Licet h. l. quoque f. h. dicitur descendere, eo quod una sit persona et una hypostasis. — Et hic adsum corporaliter et illic sedeo cum patre ut Deus.“ — Euth. Zigab. comm. ed Matthaei tom. III, p. 105: *ὁ κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα —, χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι πολλάκις μὲν ἀπὸ τῆς θεότητος, πολλάκις δὲ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπότητος ὀνομάζει ἑαυτόν.*

„Ipse sum,“ inquit Jesus in proxime praecedentibus, per quem homines e mortis faucibus erepti aeternam beatamque vitam sortientur. Mortuos etiam excitabit vitaeque restituet Dei filii vox, cui pater concessit singulari vita pollere. Tum vero judicii quoque habendi facultatem eidem largitus est, propterea quod h. f. est.“ At quo sententiae nexu extrema haec continentur? Inter hominis fortunam vel Jesu humanitatem et arbitri summi honores quae tam arcta ratio intercedit, ut altera res causa fuisse alterius jure dicatur? Neque juvat nos de Messia titulum interpretari: inde enim sic aptius expressam sententiam requiras: quia h. f. a Deo creatus est, ideo illa etiam eidem provincia contigit. Deinde inopinanti cuique hoc loco cognomen adesse putaverim. Omnis quae praecedit oratio Christi in illud intensa est, ut Dei natum ipsum et conjunctissimum cum patre Jesum esse auditores intelligant: optime igitur poterat eidem dignitati, ad quam vs. 25 in vitam revocandi potestas refertur, illud quoque tribui, quod Deus eum supremum arbitrum constituerit. Quum denique ne articulus quidem verbis *υἱός* et *ἀνθρώπου* praefixus sit, multi interpretes adesse h. l. solitam Jesu appellationem infitiati verba *ὅτι-ἐστί* cum proximis *μὴ θαυμάζετε τοῦτο* connexuerunt, ut sensus longe diversus prodiret. Theophylactus quidem crimini dat Paulo Samosateno, quod e verbis perperam conjunctis probarit, Christum, quia homo fuerit, judicandi copiam suscepisse, atque sic vertit ipse l. c. p. 563: „ne admiremini autem, quod f. h. est, nam quamvis f. h. sit, est tamen Deus.“ Addam Euthymii l. c. p. 197 interpretationem hanc: *διότι δὲ ἄνθρωπος ὁ τὴν κρίσιν τῶν ἀνθρώπων λαβὼν καὶ τὰ προῤῥηθέντα διδάξας περὶ ἑαυτοῦ τὰ μεγάλα,-μὴ θαυμάζετε τοῦτο. προείρηται γάρ, ὅτι καὶ υἱὸς θεοῦ ἐστι καὶ λοιπὸν οὐ χρὴ σκανδαλίζεσθαι. ἃ γὰρ φορτικὰ φαίνεται διὰ τὸ ταπεινὸν τῆς ἀνθρω-*

πείας φύσεως, ταῦτα φορητὰ φαινέσθω διὰ τὸ ὕψος τῆς θείας. Chrysostomi haec verba contra eundem Samosatenum dicta Lueckius laudat: *ἀλλ' οὐδεμίαν ἀκολουθίαν ἔχει τοῦτο οὕτω λεγόμενον, οὐ γὰρ διὰ τοῦτο ἔλαβε κρίσιν, ὅτι ἄνθρ. ἐστιν,* alioquin nil obstaret, quin omnes homines idem consequerentur. Impiam quandam ne in sententiam inciderent, aliter illi patres verba colligare malebant. E recentioribus nonnisi Paulo (*weil er allerdings ein Mensch ist, verwundert euch über dieses nicht*) illa explicatio arrisit. Alteram vero, quam textus hodie receptus exhibet, nobisque sine dubio praeferendam, quum et molesta forent *τοῦτο* et duplex *ὅτι* vs. 28, nec verba *ὅτι ἔρχεται κ. τ. λ.* bene ad priora quadrarent, Origeni jam et Augustino alisque probatam fuisse constat.

Rectam vero sententiae vim quo tum artificio e verbis eruamus! Augustinum secutus Beza abnuente Erasmo filium dicit provinciam accepisse judicandi, quatenus homo esset. Alii ut Grotius, Calvinus humilitatem Christi, vel ut Wetstenius sensum quendam humanum ac faventem hominibus, per quem ad judicis munus obeundum maxime idoneus esset, censent indicari laudato apostoli loco Phil. 2, 7, ut hominem submissum tenuemque fuisse doceamur, quem postea Deus ad summum auctoritatis gradum promoturus esset. Tamen haec expositio vel sermonis nexui vel notioni vocis *ὅτι* parum accommodata videtur. Discrepant ab illis, quibus ipse Messias est h. f., quem olim judicem fore omnium defunctorum Judaei tunc temporis exspectabant. Kuinoelium sic statuentem non turbat articulus omissus scriptoris tantum negligentiae tribuendus, itaque cum Lampio, Rosenmuellero, Moro hisce verba reddit: nam est Messias, ut illam sibi destinatam habeat provinciam. Idem neque Tholuckio plane displicet et Lueckio probatur p. 41 edit. I monenti, quod in ep. ad Hebr. expositum sit, neminem

praeter Messiam hominem factum mediatorem generis humani judicemque habendum esse. Tandem de Wettius quid dixerit audiamus. Accedere ad viros modo nominatos propterea recusat, quia Jesum non tantum historicum illud defendere Messiaeque adscriptum munus sibi vindicare concedit, nec putat fortuito articulum excidisse. Christum vero se ait filium hominis dicere: *weil er M. S., nicht der M. S. ist*, quibus verbis λόγον humana forma indutum significari vult. Causam enim esse in ipso humano adventu cultuque, cur judicet, quum pater, qui Deus occultus sit, non possit judicare. *) Mihi haec interpretatio vehementer commendatur. Jam enim intelligo, quo sensu nomen nostrum ad Dei filium τῷ υἱῷ vs. 26 tanquam praedicatum relatum sit, ut ad probandam valeat sententiam. Si hoc tantum Christus dixisset, Dei filio sibi ut arbitria haberet concessum esse, divinae potissimum dignitati suae hanc facultatem tribuisset. Eadem vero potestas inde etiam repetenda fuit, quod hominem eum mortales conspicati sunt, inter quos praesens praesentibus suprema patris invisibilis judicia aperiret. Utramque virtutem ita hic locus comprehendit, ut Dei filio modo dicto ea tanquam singularis laus tribuatur, quod homine natus apparuerit, ideoque ad partes illas a Deo demandatas et ipsi sustinendas sit idoneus. In filium suum, inquit, omnem Deus arbitria exercendi copiam detulit, 15, 22, quoniam is f. h. est, ut medios conspicuus inter homines patrisque visibilis testis atque vicarius munus administraret. Vides hinc, si recte sententiam explicui, cur desit articulus: non enim

*) Simile quid ad ipsum de trinitate dogma relatum habes apud Wolffium in adnotat. ad h. l. Pearsonii verba laudantem: „Pater non judicaturus est, neque Sp. S., quod hae duae personae tantum sint Deus, sed omne judicium traditum est Deo filio, quia simul est filius hominis.“

formula hic proprii nominis vel pronominis sed attributi cujusdam locum tenet, quo ejus, qui ὁ υἱός modo dictus est, virtus aliqua significetur. Quoniam autem nullum praeterea dictum exstat, in quo eundem in modum demonstrandae causa rei cognomen adhibitum sit, nostrum illum locum inter omnes insignem ac paene unicum duxi.

§. 35.

Johannis loci reliqui.

Notissima sunt, quae capite sexto Jesus disserit. Judaeos quosdam eum quaerentes commonet, ut quoties ipsum conveniant, non vilem panem ac periturum sed perenne nutrimentum, quo tanquam aeternae vitae materia pascantur, concupiscant; hanc enim escam opimam et immutabilem hominis filium iis largiturum esse (vs. 2). Verba τοῦτον-ἐσφράγισεν ὁ θ. „hunc enim, qui porrigat alimenta, sanxit Deus", ad confirmandam ejus auctoritatem apposita sunt, ut eundem Dei filium esse appareret. Terrenae autem ejus vitae status ea omnia continet, quibus alantur animi et expleantur, ut intacti maneant mortis exitio. Ad eandem sententiam illustrandam sequens quoque oratio redit, qua vivus ipse Christus cum omni sua agendi ac docendi ratione pani sancto et indissolubili comparatur. Quod vss. 35. 48. 51 simpliciter expressum habemus, subinde vs. 53 Christus adhibito nostro nomine profitetur, carnem et sanguinem esse filii hominis, quae ad vescendum quasi, ut aeternae vitae vigore polleant, hominibus devoveantur. Cur hic non dictum sit: ἡ σὰρξ καὶ τὸ αἶματοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, clarissime patet: humana enim inprimis praesentia omnisque opera ejus, ex qua animarum pabulum manaret, significandae erant. Is enim h. f. est, quem, quum λόγος fuerit ex Dei spiritu haustus, inferior vitae conditio novarum virium fontem et largitorem ad homi-

nes adduxit. Tamen ad vulgarem modum dicendi statim oratio revertitur, ut quod legimus vs. 57 *ὁ τρώγων με* magis etiam paradoxon videatur.

Tertius hujus capitis locus multum mihi laboris ac negotii crearet, toto si interpretis munere perfungi vellem. Stupefecerat Judaeos nova praeceptoris ad carne ipsius et sanguine quodammodo vescendum cohortatio. Sed Christi verba vs. 62, num eo spectant, ut etiam augeatur an ut tollatur illa offensio, et quaenam praestet loci interpretatio, nihil attinet hoc tempore extricare. Quod hominis filium eo, ubi antea fuerat, adscendentem habemus, posset id de visibili Jesu ad coelum reditu intelligi, si mentionem ullam hujus rei fecisset Johannes. Neque verba: *ὅπου ἦν τὸ πρότερον*, quae proprie quidem ad hominem Christum referri nequeunt, hoc modo explicantur, nisi quis cum Theophylacto et Euthymio sic vertere velit: „ipse adscendit ut homo, ubi prius erat ut Deus.“ *) Eodem ni fallor jure nostrum *ἀναβαίνειν* de hominis filio valet, quo alterum *καταβαίνειν* supra dicebatur: utrumque illius et ad verum ortum et ad patriam rursus petendam respicit, qui hominis tamen retulerat naturam. Tanta amplitudo quo magis ab hominis sorte aliena est, ut vel de coelo venisse vel in coelum esse rediturus dicatur, eo majore cum verborum pondere ac vi Christus, quum ea sibi tribuat, illo quidem suo nomine utitur. Potestne vero fortiore quodam argumento quam talibus dictis confutari qui credat, huma-

---

*) Cyrillus Alex.: *εἰ μὴ δύνασθε πιστεύειν τὴν ἐμὴν σάρκα τὴν ζωὴν ὑμῖν ἐνθεῖναι, λογίζεσθε πῶς πτηνοῦ δίκην εἰς οὐρανοὺς ἀναβήσεται. — Τὸν γὰρ υἱ. τ. ἀ. φησὶν ἀναβαίνειν, ὅπου ἦν τὸ πρότερον· καίτοι τοῦ ἐκ γῆς σώματος οὐκ ὄντος ἄνω πρὸ τούτου, μόνου δὲ ἐκεῖ καθ᾽ ἑαυτὸν πρὸ συνδρομῆς τῆς εἰς τὴν σάρκα.* Cf. Corderii cat. p. 197. 98.

nae naturae veritatem formula nostra Jesum comprobare voluisse?

Joh. 3, 14 cum serpente (Num. 21, 8. 9) ad sanandos Israëlitas in deserto cruci affixo h. f. comparatur, quem omnes e terra sublatum et in cruce suspensum pio fidelique animo intuiti a pernicie tuti et salutis participes futuri sint. Christo in terra viventi fatum erit hoc perferre: sed non hominem tantum sed servatorem etiam et beatitudinis assertorem se praestabit supplicium perpessus. Eadem locutio 8, 28 reperitur, ubi notandum, quod protasin hanc: *ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τ. ἀνθρ.* simplex apodosis sequitur: *ὅτι ἐγώ εἰμι.* Haec quid sibi velint, e verbis proximis intelligimus (cf. 24. 25): „tum eum me esse cernetis, quem me professus sum filium Dei, edoctum ab eo et missum, nihil sua sponte agentem." Neque igitur locus ex iis est, qui ut ipsum Messiam illo nomine dictum putemus, suadeant. Quae enim si clara notio esset, Jesus ad verba *σὺ τίς εἶ* responsurus sic rectius sententiam collocasset: *ὅταν ὑψώσητέ με — τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ υἱ. τ. ἀνθρ.* — Quod hoc loco per vocem ambiguam *ὑψωθῆναι* de Christo morituro praedicitur, infra 12, 23 per alteram *δοξασθῆναι* indicari poterat, quatenus mors Christi divinae simul gloriae, qua postea emineret f. h., initium esset futurum. Periphrasis hic eo aptior est, quum paulo post Jesus per aliquam similitudinem demonstret, terrenam ipsius vitam, quo fiat omnibus frugifera, extremo supplicio mactandam esse.

Haec ratio mortis praedicendae quamvis satis obscura sit, Judaeos tamen quo spectet non penitus videtur latuisse. Id enim apparet Joh. 12, 32—34 ex loco admodum insigni, nobis vero ob eam causam acriter examinando, quod inde plerique interpretes colligunt, filii hominis nomen ab ipsis Judaeis pro Messiano quodam titulo habitum esse. Ac profecto si quod

documentum est, unde probes, notum fuisse auditoribus agnomen, ex his maxime versibus derivabis. Jesu enim loquenti iterum de se in altum extollendo „quis tum, Judaei respondent, ille h. f. est? Christum (τὸν Χριστόν) nos vita nunquam defuncturum esse edocti sumus. Tu vero cur de aliquo loqueris, cui moriendum sit, hominis filio?" Ex hoc responso verisimile videtur plerisque viris doctis, Lueckio, Bleekio, de Wettio, Scholtenio aliisque, ab iis certe, qui tum una fuerint cum Jesu, ejusdem Messiae appellationes habitas esse ὁ Χριστός et ὁ υἱὸς τ. ἀ. Possit quidem ita quoque locus explicari, ut Judaei e Christi tantum sermone phrasin depromserint jamque occultam sibi esse ejus notionem Jesu significarint in hunc modum: „de quonam tu hominis filio dixisti, si non de Messia, cujus sempiternam vitam fore comperimus?" Sic interpretati nonnulli, quibuscum Boehmius sentit (l. c. p. 51), *) ignotam prorsus nec de Messia usitatam audientibus formulam fuisse probant. Qui dubito num accurate textum et verborum collocationem sequantur. Primum enim verba ὅτι ὁ Χρ. atque δεῖ-τὸν υἱ. τ. ἀ. ita sibi respondent, ut posterius quoque cum aliqua notione certa poni videatur, nec tam de ipso f. h. quam de morte ejus quaestio fiat. Deinde quae adduntur verba τίς ἐστιν οὗτος κ. τ. λ., ea non puto valere posse: quis omnino est hoc nomine a te ornatus, sed quisnam ille vel talis h. f., qui obnoxius morti dicatur. Sive igitur putabant Jesum se tanquam Messiam ita vocare consuesse, sive etiam memoria vetere de illo nomine aliquid traditum habebant, certe non ut inaudita quaedam et plane obscura ipsis dictio laudatur. Restat in eo tantum aliqua dubitatio, quod

---

*) *Von welch einem Messias sprichst du unter dem von dir gebrauchten Namen Menschensohn?*

quum Jesus in antecedentibus sine periphrasi dicat ἐὰν ὑψωθῶ, Judaeorum quaestionem male collocatam seu parum accurate redditam dixeris. Non multum proficiet, si quis cum Scholtenio vs. 34 ad verba supra laudata vs. 23 referre velit, quoniam hoc dictum haud minus involutum et ambiguum est. Rectius igitur ceteri negligentia quadam scriptoris factum esse concedunt, ut vel Judaeorum interrogatio minus apto loco exstaret, vel in brevius contractis Jesu verbis accuratus cum illa nexus parum cerneretur.

§. 36.

De locorum consensu.

Examinatis locis jam longe plurimis ad eum qui finis quaestionis est propius accedimus, ut certa quaedam atque constans illi nomini potestas vindicetur. Animo percurrenti mihi, quae hucusque recensa sunt, videntur duae locorum classes discernendae, quarum priorem ea Christi dicta conficiant, in quibus formulae usus ad argumentum minus quam ad formam rei declarandae pertineat. Interdum enim nihil paene referre vidimus, adhibueritne Jesus in aliqua sententia phrasin an omiserit, nisi quod periphrastica dictio tum quoque fortior et significantior evadit. Atque fingas quaeso omnino nomen desiderari, et ubique Christum, ut quisque facit de se loquens, pronomine simplici usum esse: num ullum dictum demta locutione mutilum et plane obscurum foret? Ego unius tantum loci recordor Joh. 5, 27, ubi illa ad sententiam edicendam maxime necessaria sit: reliquis omnibus quod continetur, non in ipsa voce *υἱὸς τ. ἀνθρ.* situm esse concedo, sed in eo, quod de Christo ita se nominante legitur. Neque vero, etsi hoc largiamur, inanem vel fortuito inventam formulam esse concludendum est. Quacunque enim voce Jesus non pro attributo sed pro agnomine utebatur, semper tali modo diceret necesse

erat, ut ad se ipsum non ad appellationem enunciata respicerent, quoniam cujusvis nominis id proprium est, ut in loquendi consuetudine non qualitatem personae sed eum ipsum, de quo est sermo, significet. Nihilominus omne nomen, quidem quod prisca aetate illa invenitur, aliquando attributum etiam fuit, quum certum quendam eo afficiendi causa aderat, atque e prima hac ratione saepe aliqua significatio titulo adhaesit. Quocirca ne ii quidem, qui in nostro hoc dicendi usu nihil animadvertunt, nisi quod forte ac promiscue evenerit, jam a quaerenda formulae notione jure desistent. Nos vero locorum singulorum lectio et comparatio aliter edocuerunt: non temere enim plerumque investigavimus, cum ipsa sententia dicenda conjunctum esse, quod Jesus aliquo tempore hominis filium se vocaverit.

Haec igitur classis altera eorum locorum est, quibus apparet, praeter simplicem vim pronominis personalis gravius aliquid atque novum ad singulorum dictorum materiem referendum appellatione exhiberi. Quot exempla hoc in ordine reponenda sint, ne poscas ut acriter decernam, dubius enim de quibusdam haesitem. In universum autem illorum exemplorum genus praecipue animadvertimus, quae in Christi sermonibus de munere atque dignitate ipsius et in rerum futurarum vaticiniis deprehenduntur. His igitur praecipue locis praepositis potior jam nominis significatio constituenda est.

§. 37.

Constituitur nominis significatio.

Messiam hac voce cognominari primum quidem ex eo, quod de origine nominis ipsius exposui, probabile visum esse, non sumus immemores. Neque loci defuerunt apti ad eam rem probandam: quod enim legimus passim de hominis

filio sabbati diei sacrisque praeposito, peccatorum veniam dante, de eodem summo decore exornando, qui olim extremus judex homines aditurus sit, omnia suo jure in Messiam conferuntur. Adde Judaeorum verba insignia Joh. 12, 34 nobis modo laudata, quibus illud nomen eodem loco et numero cum usitata voce ὁ Χριστός habetur. Etiam articuli vis hoc bene admittebat, ut quum Messias aliquando ἐξόχως homine natus dictus esset, integrae nominis formae peculiaris haec notio adderetur. Vides hinc minime mirum esse, quod tot viri Kuinoel, Knapp, Luecke, Meyer aliique hac fere rei explicatione contenti fuerint. Cui qui volet contradicere, his fere causis utetur:

1) Si nonnisi ad Messiam significandum formula valebat, cuinam Jesu tum vel voluptati vel utilitati erat? Aeque facile tritis poterat vocabulis uti, sed nostrum elegit magnaque habuit in caritate.

2) Tametsi Christus de debitis sibi ut principi honoribus dubius non fuerit, externa tamen muneris ornamenta titulosque sollemnes plerumque eum aversatum esse cognovimus. Hoc vero ut Messiae cognomine toties usus videreturne anxie ac diligenter de obtinenda illa coram populo auctoritate cogitasse? Respondes ideo a Jesu electum et adamatum esse, quia obscurius esset neque adeo vulgatum inter Judaeos: sed id est quod disputamus, singularem causam accessisse, quae abhorreret a Messiae nominandi consilio, neque eodem modo illud Messianum dixerim, quod plurimorum scientia et opinionum consensu longe minus quam reliqua statutum et divulgatum fuit.

3) Ceteris Messiae titulis a Judaeis in Christum collatis id unum nusquam interpositum reperimus.

4) Tandem loci aliquot negligendi non sunt, quos novimus obstare magis huic significationi tenendae quam secundos esse.

Quae rationes, nisi plane illam explicationem refellunt, mihi quidem ne in ea sola acquiescerem dissuaserunt. Messiae quae convenirent, vel rumore vel scripturae interpretatione constituta sunt: itaque ea inprimis dicemus Messiana, quae vulgata certaque memoria confirmata in N. T. transierunt. Nostra autem appellatio non multitudinis verum Christi solius in ore versatur; licet igitur similiter atque reliquae e loco quodam Messiano exorta pluribusque cognita fuerit, id quod antea diserte concessimus, vim tamen suam et significationem non tam e rumore illo quam e Christi animo et voluntate accepit.

Poterat deinde Christus aut omnino hominem praeditumque natura humana se dicere velle, aut certum aliquem hominem ob aliquam causam accuratius inde definiendam insignem.

Humanitatem Christi hac voce comprobari naturamque ei tribui nostrae parem, et veterum permulti et recentiorum contenderunt. Non est profecto, cur id non lubentissime largiamur. Qui enim homo vere non fuerit nec tota naturali indole omnibus aequalis, credisne illum de industria homine natum se vocaturum atque inde, quod non esset, nomen fuisse petiturum? Illi igitur, quibus olim docetistarum opinio arridebat, ut aliis multis ita hoc quoque non futili argumento confutandi erant, quod hominis filius non potest solam speciem habuisse naturae humanae. Ne vero hac ratione, quo clarius elucet, eo citius in errorem perducamur. Est enim nulla vulgarior, nulla frequentius audita quam illorum sententia, qui notionem etiam formulae ad naturae humanitatem indicandam referunt, quique duplex de quo agimus nomen ita sibi opponunt, ut utrumque alteri in Christo indoli inserviat monstrandae. Itaque hominem esse Christum, non tantum subesse volunt cognomini, verum diserte eo atque consulto declarari. Hoc fere ut sibi vin-

dicaret (*„das wahrer Mensch sein“*), in animo Christo fuisse, Olshausen et Tholuck (Comm. zum Evang. Joh. p. 80, edit. V) existimant. Vellem equidem haec opinio scripturae testimoniis tam bene niteretur, quam dogmaticorum rationi luculente favet. Multum sane dogmaticorum interest, ut et divinam et nobiscum omnibus communem in Jesu indolem fuisse doceamur: ipse autem Jesus, ut id singulari voce ostenderet, quod nescimus tunc quemquam negavisse, qua poterat ratione commoveri? Locos autem, quibus id consilium appareat, vix ullos inveni: plerique enim altius et uberius aliquid spectant, quam quod sola quamvis verissima humanitate continetur. Apud Johannem praesertim ne metuisse quidem videtur, ne quis illam ipsi derogaret, quum ibi etiam, ubi de summo ejus ac coelesti loco ita disseritur, ut illi conjicere possent, Christum adspectu magis quam natura hominem referre, hominis filium sese dixerit. Ipsis Dei filii laudibus fere omnibus, quae eo magis tenuitati nominis antecellant, videmus illum exornari. Quae quum ita sint, utrumque persuasum habemus, humanam fuisse veramque Jesu naturam et omnino usu formulae probari, nec singulari ejus notione declarari. — Tandem illos ne quis forte audiendos nobis offerat, qui aliquando e virgine partum Christum indicari opinati sunt. Noluerunt illi quidem filium hominis eum dici, nisi quomodo natus sit simul significetur. *)

---

*) Synopsis criticorum aliorumque script. interpr. opera Matth. Poli. ad Matth. 8, 20: „F. h. vel ut ostendat, se patrem hominem non habere, sed per virginem ex Adamo usque esse, vel quod ex ejus posteris propagatus esset, ex quo prodiissent et ceteri mortales universi; — 3) f. h. dici possit, vel ut summam humanae naturae miseriam exprimat; 4) ut veritatem suae naturae significaret; — 6) humilitati sive abjectionis causa. Ita vocatur Messias Ps. 8, 4. 80, 17. 82, 7

Praestat igitur de ipso Christo tanquam homine insigni atque egregio nomen interpretari. Jam pro eo, ut virtutem ejus vel qualitatem aliquam recte definias, ob quam tali modo sese appellet, eligendi optio datur. Potest enim aut de eo intelligi, quod exiguae tenuisque Jesus fuerit fortunae multorum contemtu et suspicione adspersus, aut de eximia quam homo susceperit dignitate ac praestantia. Prae manibus sunt, quibus utrumque fulcias argumenta.

Prior explicatio multis arrisit ut Grotio (adnot. in N. T. ad Matth. 8, 20), Clerico ad eundem locum monenti: „itaque et statum humilem eo loquendi genere significat, et oblique eorum superbiam et inscitiam notat, a quibus homo vilis habebatur (vide Hammondi N. T.)"; aliis certe non displicet. Sunt qui contemtissimum miseraeque morti devotum hominem velint declarari. Non longe discedit ab his, qui in Henkii horreis (Magazin für Relig. Philos. u. Exegese I, p. 143) Jesum putat eo nomine adhibito se a Judaeorum sacerdotibus et magistratibus tanquam virum tenuem voluisse discernere nullaque publica auctoritate valentem. Quum vero theologi viventis Christi statum duplicem distinxerint, inferiorem alterum sorteque durissima vexatum, quem alter postea coelesti cum gloria exceperit, nihil magis in promtu fuit, quam huic quidem nomini afflictae conditionis notam subjicere. Ipsi patres nonnulli eum hominis filium arbitrati sunt, cujus esset τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως sive μορφὴ δούλου,

homo contemtae sortis". Contra Erasm. in adnot. ad Matth. 16, 13: „Certum filium ac certum hominem significat, nempe Adami. — Proinde frivolum est istorum commentum, qui putant Christum ob id dici f. h., quod ex matre duntaxat sit progenitus, quum hic homini praepositus sit articulus τοῦ." Conf. infra excursum.

quam Paulus dicit.*) Recentiore tempore Rosenmuellerus in scholiis διὰ τὴν κένωσιν hoc modo Christum dici, atque Lessius in opusculis p. II, p. 13 summam servatoris demissionem designari statuerunt. Simile quid etsi non ita dogmaticae partitioni accommodatum Bleekio probari video, ubi locum Hebr. 2, 6 interpretatur. Veri aliquid virorum existimationi subesse, quis neget! Apte hinc derivatur, quod h. f. vagus errat, quod Judaeorum probris atque conviciis oppressus morte multatur, quod praeterea Christus neque opibus nec munerum quorundam publicorum auctoritate valebat. Has vitae molestias quum simul cum eo, quod homo factus est, suscepisset, poterat totam ob suam conditionem terrestrem ac demissam h. f. vocari, eoque altiorem praeterea in ipso honorem et dignitatem esse significari. Tamen omitti nolim, quod non ibi solum nomen occurrit, ubi illarum vitae angustiarum ratio habetur. Ad dextram majestatis sedentis, cum nubibus vecti filii hominis recordemur: quis haec etiam ad eum, qui est dogmaticis, humilitatis statum referat! In ipso coelo ille traditur versari, qui olim summi judicis potestatem tenebit. Neque igitur Christum verecundia animique modestia permotum esse dixerim ad nomen eligendum, quo multa eaque praeclarissima de se praedicaturus usus est.

Quum igitur non ubique exstet rerum angustarum atque humilitatis significatio, aliud quoddam quo nomen spectet quaerendum est. Afferam primum quod Bertholdus in Christologia Judaeorum dicit pag. 31, appellationis nostrae singularem hanc esse rationem,

*) Critici sacri Lond. 1660, in Matth. 8, 20.: „Appellat se Chr. f. h. more scripturae, quae hominem ex infima sorte appellat f. h.“ Calovii adnotata ad eundem locum: „Dicit enim ei, qui f. h. hoc est contemtae sortis videbatur, datam esse regiam potestatem.“

quod neque rei neque personae ullum habeat respectum. Perperam id quidem a Viro Cl. existimari Ewaldo videtur (l. c. p. 99), quia ad Messiae personam et oraculum Danielis respici manifestum sit. Neque vero causa deest, cur diutius in eo Bertholdi judicio subsistamus. Nam quum in ipsius nominis verbis nec personae neque gentis neque alius rei singularis commemoratio perspicua sit, poterat ob hanc ipsam rationem quam maxime Jesu probari. Christum quidem raro coram ceteris, Davidis filium paene nunquam eum se perhibuisse novimus, veritum quippe, ne de honoribus quibusdam admodum popularibus gloriaretur. Eo vero, quod hominis filii titulo satis ambiguo se afficeret, non adeo metuendum erat, ne praeoccupatas Judaeorum opiniones foveret. Hoc enim profecto nescio equidem, qua de causa contrarium affirmare potuerit quisquam, prolem Davidis illo nominandi genere Jesum declarari, nullam aliam ratus Messiae appellationem omnibus cognitam fuisse. Quod hucusque omnium incertissimum agnomen duximus, jam tritum ceterisque clarius habeamus? Totiesne Jesum Davidianae suae stirpis discipulos commonefecisse putemus? Ego longe facilius illud Jesum egisse concesserim, ut neglectis illis dignitatis suae externis documentis hominem tantum sese hominibus offerret. Id si revera cogitavit, diximus quidem, quid ei commodum et acceptum in formula fuerit, nondum explicuimus.

Viam quasi munivimus proxime praecedentibus verbis, qua ad novam eamque magis exquisitam sententiam prodeamus. Etenim si nomen certis vel personae vel parentum atque gentis indiciis caret, eam forsitan ejus rationem esse credideris, ut generalem quandam hominis ideam adumbret. Quominus alicujus virtus atque auctoritas arctioribus sive familiae sive populi sive rerum popularium finibus cohibita

est, eo integrius in hoc solo, quod homo fuit, continetur. Si quem igitur tanti facimus, ut de homine nato omnibus laetandum et in laude exsultandum esse putemus, quoniam e summis non unius nationis verum humani generis lucibus ac decoribus fuerit, et propterea eundem hominis filii nomine insignivimus; insolito quidem sed non plane absono loquendi genere usi videbimur. Jam igitur simili existimatione nisi theologi quidam Jesum filium hominis illum habent, qui perfectissimi hominis quasi simulacrum verum reddiderit et ab omni parte expresserit. Non enim dubitat Olshausen, quin voce significata sit idealis, ut breviter dicam, i. e. integra omnibusque numeris absoluta Christi humanitas. Cui adstipulatus Neander S. V. in vitae Jesu Christi enarratione p. 130. 31 edit. I sic fere disputat: vocavit sese f. h., quatenus ipse totum ad hominum genus, cujus in gratiam exsecutus sit tantum opus, pertinet, atque summae virtutis humanae effigiem exemplo naturae nostrae exhibito refert. Quam vocis significationem Johanneis praecipue locis putat comprobari.

De hac quidem nominis interpretatione, quae multorum animo atque voluntati respondet,*) multum diuque me haesitasse fateor. Tandem vero de eo me rursus admonuit, quod saepius animadvertere mihi videor, sententiam aliquam interdum optime excogitatam esse et ingeniosam, tamen probari aeque facile e scriptura non posse. Sed priusquam plura disputem, ultimo loco videamus, Boehmii disputatio quid nos doceat. Hic enim novissimus rei disceptator in tertia parte libelli, cujus titulum hunc excogitavit scriptor: „*ver-*

*) Dubito equidem, num Schleiermacherus prorsus idem nomini tribuerit. Colligit tantum p. 91 l. c. ex usu loquendi, Christum peculiari quodam modo, quo ceteri homines ita se dicere non possint, hominis filium semetipsum professum esse. Absit ut sic statuenti ei adversemur.

suchte Enthuellung des Geheimnisses von dem M. S." tribus hisce tituli significationem confici demonstrat:

1) Omnino ille est hominis filius, quem inprimis hominem arbitrari atque ipsi humanitatis ideae aequalem dicere debemus — *der idealischė* (sic) *Mensch*, p. 85. 88, — quoniam is sapientissimus, piissimus, postremo virtute humana omni cumulatissimus fuit.

2) Homo universalis est non unius populi moribus et ingenio addictus, nec per totam vitam suam omnemque cogitandi et agendi rationem ullis civitatis vel partium vel societatum, quas singuli quique homines colunt atque sectantur, legibus, studiis terminisque coërcitus, ὁ κοσμοπολίτης, qualem Socrates quoque se fertur praedicasse. Christus enim neque ipse cognationis vel familiaritatum vinculis sese contineri voluit, neque inter ceterorum multitudinem sortis atque ordinum discrimina observavit.

3) Tantis igitur quia laudibus excellit, omnibus nobis praeceptor, dominus, legum lator existimandus est. Tertium hoc potestatis illius, quae Messiae tribuebatur, specimen est.

Quominus aliquo modo haec tria in Christum conferantur, dummodo recte explices, minime prohibebo. Unum tantum miror, quod Boehmius suam de formula enarrationem tanquam novam ita ut facit et inauditam in medium protulit. Nam quod secundo et tertio loco posui, vel bene concordare cum Neandri aliorumque sententia vel consequi ex ea videtur, licet minus accurate ab illis viris sit expositum. Quod vero nondum sequitur inde Boehmioque inprimis debetur, id neque illi daturi essent. Hi enim h. filium colunt, qui et ipse Dei filius et cum patre arctissima communione junctus fuerit: noster vero hominem tantum descripsit etsi castimonia animi et probitate et ingenio insignem, ac ne illud quidem antiquum, cum Socrate esse Jesum comparandum, dubitavit recoquere. Ad solius nostri tituli informa-

tionem maxima quaeque revocavit de Christo dicenda, quem talem veneraremur mundi universi civem. Quomodo vero is fieri potuerit, parum me ex Boehmii libro didicisse fateor, neque his virtutibus totam Christi, quem redemtorem adoramus, confici putem praestantiam. — Proinde in Boehmii explicatione id licet reprehendere, quod auctor sermonibus quidem Christi ad rem demonstrandam usus tamen eorum locorum, quibus nomen occurrit, paucos tantum adhibuit, Johannea vero praecipue dicta quamquam suae opinioni non infestissima mirabili modo neglexit. Hinc valde dubium redditur, num eadem quam Christus voluit e voce sententia eruta sit. Non inepte eo provocavit, quod Jesus, quum regnum nullis terrarum gentiumve confiniis inclusum constituturus esset, talem se hominem habuit, qui universo hominum coetui jure praeponeretur. Ubi vero de hac re loquitur Christus, non exstat plerumque illa appellatio (Matth. cpp. 11. 16), et quod v. c. vel se vel institutum suum longe praeclarius esse quam Johannis defendit, id pariter ad servatoris ac Dei filii quam ad alteram filii hominis dignitatem referri potest. Neque *κοσμοπολίτης* firmo quodam singulorum locorum fundamento nititur. Ubi docemur, quis vere ei cognatus sit (Matth. 12, 48 parall.), quidni dixit, ut illa notio conspicua fieret: *τίς ἐστιν ἡ μήτηρ τοῦ υἱοῦ τ. ἀνθρ.*? Ubicunque de nova lege Christiana verba facit, optima data erat usurpandi nominis occasio: cur igitur nusquam hoc legitur: *ἡ βασίλεια τοῦ υἱοῦ τ. ἀ.*? Quod denique Boehmius monet, hominibus omnibus idoneam et accommodatam esse Jesu religionem, ut eum cum quadam emphasi hominem declarari par fuerit, id de toto ejus consilio rebusque gestis eodem modo valebit, etiamsi non illo nomine tam clare significatum sit. Tanta in nominum, quibus Christi honores ornantur, multitudine et gravitate non est, cur vel praeclarissi-

mas ejus laudes ad unicum agnomen illud restringamus.

§. 38.

Continuatio.

Sed redeo ad Neandrum, cujus sententiam nonnulla jam ex antecedentibus tetigerunt. Ingenue proferam, quae ceterum de ea habeo dicere: 1) Primum dubito, num informationi, quam Vir Venerandus proposuit, verborum etiam complexio satis bene respondeat. Tale enim totius generis humani exemplar si quis breviter cognominare vellet, diceret *τὸν ἄνθρωπον*, minus apte *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*, quippe quo similem potius vel aequalem parenti aliquem esse significari putes. A Philone quoque, id quod Neander l. c. minime neglexit, idealis seu perfectissimi hominis notionem descriptam habemus, sed ille quibusnam vocibus usus est? Dicit eum *τὸν οὐράνιον, τέλειον, τὸν κατ᾽ εἰκόνα, κατ᾽ ἀλήθειαν ἄνθρωπον*, uniuscujusque quasi in mente habitantem, *τὸν ἄνθρωπον θεοῦ* (cf. Daehne, Geschichte der jued. alex. Relig. Phil. I, p. 298. 320. 329. a Coelln l. c. p. 401. 2). Illi quidem si forte ceteros tanquam hominum filios opponere volebat, non inepte dixit: ipsum autem hominem suum supremum obscurius dixisset, si nostris verbis ornasset. Nam ortus vel stirpis significatio, quae est in titulo f. h., ad hujusmodi humanitatis fastigium declarandum vel supervacanea vel minus apta videtur. Ceterum libenter concedimus, quod Neander adnotat l. c., in ea, quam Johannes sequatur, nominis definitione nullum Philonis imitandi studium animadverti.

2) Dignissimus profecto est Christus, qui in hominis perfectissimi loco atque honore collocetur: qualis vero ipse fuit, talem se cognitum habuit. Malim tamen haec ejus laus ex apostolis aliisve Jesu discipulis discatur, quibus ea cogitatio ex vitae domini ac

doctrinae consideratione redundarit, quam ab ipso Christo singulari nomine expressa sit. Ecclesiae quidem Christianae illud est, ut quo magis adolescat, eo clarius intelligat, optimum quemque divini regni civem ad ejusdem hominis exemplum fingi et conformari. Quod vero ex ecclesiae quasi conscientia repetendum est, num idem jam ab ipso Christo uno verbo pronunciatum et tam frequenter vindicatum putemus? idque nomine praesertim tam simplici, cui speciosa illa ac subtilis cogitatio minus conveniret. Certe haesitandi hinc mihi ansa praebetur.

3) Eorum opinio, qui filium hominis pro summo generis humani exemplo habeant, neque N. T. locis confirmari et inde esse nata Coellnio (l. c. II, p. 16) videtur, quod Philonis placitum de voce λόγος tanquam omnium hominum prototypo ad scripturam etiam et res Christianas translatum sit. Quod utcunque se habet, ego quoque, priusquam cum Neandro sentiam, plura etiam et clariora locorum documenta desiderem. Supra vidimus, ne Johannis quidem dicta significationem illam dilucide prodere, quam vel multo difficilius ex synopticis evangeliis promseris. Neque enim Christus sabbati dominus, neque ad coelum elatus et cum nubibus vectus ille est f. h., quem hoc loco nos quaerimus. Id unum enim nusquam nomine significatur, divinis quibus cumuletur honoribus illud simul effici, ut hominibus summam naturae suae perfectionem ob oculos posuerit.

Quae praecipuis hisce theologorum sententiis opponi possint, libere dixi ut potui, simulque eo mihi quid videatur defendendi negotium durum suscepi. Quum vero supra jam opinio mea ad singulos locos passim commemorata sit, non restat, nisi ut paucis quid sentiam comprehendatur.

Nimirum nihil magis generale est, quam hominis filium i. e. unum ex genere humano aliquem dici: hoc

ad omnes hac in terra natos eodem modo pertinet, hoc singula singulorum propria omnesque virtutes latissimo ambitu complectitur. Nihil igitur in eo nomine insigne est, sicubi nostrum alicui imponitur. Eximium autem quoddam magnumque ut aliquando declaret, necesse est illi inhaereat, cui aliud etiam laudum genus illo quidem non significatum adjudicandum sit. Itaque elucet, quomodo jam de Christo hominis filio statuamus, quippe qui, quum summam ipsius dignitatem ex alio fonte petierit, alterum quoque reliquis hominibus innatum et vulgare sibi quidem ut rem singularem assumserit. Si gravioribus nullis laudibus eminebat iisque extra communes hominum facultates positis, neque tali cum verborum pondere *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου* se appellare poterat. Quoniam vero ut Dei legatus atque filius advenit, haec causa erat, cur ab eo ductum, quod hominis filius exstitisset, gereret nomen. In universum igitur *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* ille est, cujus cum superiore auctoritate atque loco id conjunctum est, quod homo inter homines exstitit, seu ut aliis verbis utar, qui hominum de genere natus divina insuper virtute et potestate pollet Deique officia suscepit. Poterat haec significatio, quam satis late hic a me expressam esse non ignoro, tam varie adhiberi, ut et maximis rebus dicendis et minoribus bene esset accommodata. Acerbissima quaeque h. f. sustinuit atque perpessus est: fuerunt enim illi toleranda, qui utut implicitus vitae nostrae angustiis ac miseria praeditus summum tamen ubique honorem obtinuit. Idem ad coelestem usque regionem nubiumque altitudinem effertur: nam eo ut adscenderet homini ipsi in terra viventi destinatum erat. Haud secus, quae in terra executus est, ut h. f. exigebat, quia munus suscepit humano quidem loco statuique quamquam summam praeterea auctoritatem habenti adstrictum. Sive igitur nomen locis quibusdam contemtum et miseratione di-

gnum sive praestantissimum sive ipsum Messiam Dei vicarium declarare videtur, potest ubique fere communis quaedam cogitatio ei subjecta retineri. Nunc tristia Christus, quae sibi ceciderint, nunc sublimia, nunc muneris denique officia praedicat, quippe quae universa non ut ex mortalium aliquis numero, sed ut hominum vicem atque fortunam ingressus subierit Dei filius. Tota ejus sors, quum non eodem modo ipsi homini obtigisset, nisi superne profectus esset, ideo tanto cum verborum atque singularis appellationis pondere in Christum hominis filium refertur. Legimus apud Johannem haec verba de eo: ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, qua in satis paradoxa sententia, quid valeat nomen, egregie opinor posse discerni. Nam humano loco qui ortus est, hoc tanquam summum sibi tribuet, in coelo se quodammodo versari affirmans, ut ex adverso etiam, qui ad illam regionem se dixerit quam maxime pertinere, de eo non ultro intelligitur, verum graviter vindicandum certaque voce pronunciandum est, quod homine prognatus advenit. Possis forsitan cum Neandro illud etiam inde derivare, quod coelestis ille homo perfectissimus quoque evaserit, nisi metuas, quod ego verebar, ne praeter claram locorum sententiam ad rem remotiorem tibi vero cariorem deflectas. *)

Non repugnant huic definitioni nostrae, quae ab initio de origine cognominis concessimus. Danielis

*) Straussius l. c. vol. I, p. 532, edit III. haec habet: *Kann somit jener Ausdruck nicht denjenigen anzeigen, welcher unerachtet seiner Goettlichkeit dennoch Mensch ist, so geht doch das Umgekehrte an, in dem υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου denjenigen zu sehen, welcher unerachtet seiner menschlichen Gebrechlichkeit goettlicher Natur, die in der Menschheit geoffenbarte Gottheit ist.* Recte in universum ita statuit V. Cl., quamquam nescio an prius quoque admittendum sit interdum, sicubi divina ejus ut hominis amplitudo celebratur.

quoque visione talis quidam describitur, qui et in hominum vita et in eminenti nubium regione locum sedemque obtineat. Unde quum Messiae denominatio aliqua desumpta esset, poterat vel ipsa Jesu placere, vel eo, quod rarior et intellectu difficilior esset, magis etiam probari, ita vero, ut novo hoc usu accuratius definiretur. Causam vero, de qua Christus Danielis potissimum oracula tanti aestimarit, ut inde ductum nomen sibi eligeret, de Ammon V. Cl. in eo sitam fuisse censet, quod ille vates exspectationem non Judaei tantum sed universalis regni divini mente amplexus esset. Id Boehmio quoque persuasum est, nomen etsi non inventum a Christo, libere tamen personae ipsius accommodari (cf. I. c. p. 58 sqq.).

Quodsi jam de formulae significatione praecipua satis constat, quid Jesus ex continua ejus usurpatione utilitatis atque emolumenti ceperit, facili negotio expendemus. Non ego cum iis sentio, qui servatoris suorum optime conscii honorum eximiam quandam modestiam verecundam laudare studeant. Tamen magnifica illa Messiae nomina graviora et quasi sanctiora habuerim, quam quibus in ipsa sermonis consuetudine se vocitaret. Dulcius opinor et ad sustinendum cum hominibus usum aptius ei fuit, illam maxime ad vocem adsuefieri, quae inferioris loci expressiorem notam quam divinae potestatis haberet Jesumque humanitatis suae semper memorem esse ostenderet.*) Quod discrimen inter ipsos et discipulos intercedat, interdum tegere verbis praeceptores malunt quam exaggerare. Huc illud quoque accedit, quod

*) Ingeniose Bengel Gnomon p. 98. 99 eum esse dicit f. h., „cui uni, quod humani nominis nos non poeniteat debeamus", quique inter homines ambulans „simul se ipsum praesentis suae conditionis admonuerit."

prudentiae fuisse supra vidimus. Quum enim ea repetere et prae se ferre, quae vulgi in ore versabantur, incauti et imprudentis fuisset, illius quidem nominis longe praestabat obscuritas; ut quo adhibito Jesus neque importunas Judaeorum laudationes exposceret, simulque significaret, se non eandem, quae illis forte placeret, Messiae personam gesturum esse. *)

§. 38.

Conclusio.

Restant duae res, quas tractandas ad extremum reservavimus, primum ut inter se conferantur notiones nominum filius Dei et hominis, deinde ut disquiratur, qua de causa alterius quidem nominis nulla paene in reliquis N. T. libris mentio facta sit.

Prius quod attinet, in contrarias partes viri docti discesserunt, aut gravem quandam significationis differentiam dogmaticam aut minimam ac paene nullam

---

*) In Gerhardi locis theol. I, loc. IV, cp. 6 hae causae, ex quibus nomen positum sit, enumerantur: 1) propter propheticam denominationem, 2) ad verae humanitatis demonstrationem, 3) ad consanguinitatis erga nos probationem, 4) propter exinanitionem et humiliationem, 5) propter officii administrationem exemplo Ezechielis, qui propter munus propheticum sibi commissum semper vocatur f. h., 6) ob demonstrandam suam dilectionem secundum locum Prov. 8, 31, ut φιλανθρωπίαν ostenderet. cf. Chr. B. Michaëlis, Tractatio philologico-theologica de Christo filio hominis Hal. 1736. p. 12: „Christum filium hominis appellatum esse tum respectu naturae humanae, quam in plenitudine temporis adsumsit, tum respectu promissionum divinarum, quae eam in rem ab omni retro tempore praecesserant: non exclusa humilitate Christi, ex qua f. h. a debiliore natura eaque multis et magnis infirmitatibus obnoxia frequentius quam a deitate vocari maluit.„ Doederlein Instit. theol. Christ. II, p. 202. edit. IV.

esse statuentes. Utrumque qua ratione defendi possit, ex antecedentibus novimus. Vetustate praestat illorum opinio, qui altera voce humanam altera divinam Christi naturam indicari putant, quibus conjunctis tota ejus persona sanctissima circumscripta sit. Justo strictius ab his utriusque agnominis potestatem sumi ex eo patet, quod illa nusquam tali modo, ut par esset dogmaticorum rationi, sibi opposita reperimus. Neutro enim alterum, quod fuerit in Christo, aut divinum aut humanum solum insignitur; quinetiam Johannei loci nonnulli magnam quandam notionum, quae vocibus suberant, cognationem atque similitudinem nobis demonstraverunt.

Si quis contra cum recentiorum compluribus neminem nisi Messiam et Dei et hominis filium autumat denominari, is etiamsi in usu formularum differentiam quandam agnoverit, vix poterit tamen significationis discrimen aliquod retinere. Non est, cur antea exposita denuo iis opponamus, quamquam mihi quoque longe facilius videtur, communem appellationibus quam diversam utrique sententiam addicere.

Si rectum est, quod antea invenimus, illud constat, non solum numen divinum ex Deo summo profectum verum eum ipsum, in quo vigeat, hominem *υἱὸν τοῦ θεοῦ* nuncupari. Pari modo alteri nomini praeter id, quod clare exprimit *ἄνθρωπον εἶναι*, altioris etiam rei notionem jure subjicere visi sumus. Utrique igitur quum mente aliquid addendum sit, quod verba ipsa non exhibent, licet ita vocum discrimen definire, ut priorem de Dei nato intelligas qui homo exstiterit cum sua virium amplitudine, alteram vero de eo explices, qui etsi hominum de genere ortus altiorem tamen Deoque proximum honorem occupet. Hanc certe nominum oppositionem quandam etiamsi nullo scripturae

loco praescriptam admitti posse concedes, dummodo ne alterutrum neglecto altero spectemus. Accedit alia diversitas, sine qua ne priorem quidem defendere ausim. Nam si quis quaerat, utra appellatio gravior magisque necessaria sit, eam dicam, quam priore loco posui. Ea enim clarissime confirmat, quod altera offert conjectura quadam assequendum: ea summum et invisibile continet, dum altera certo adhaeret hominis adspectui: illam denique si desiderares neque reliqua attributa honorifica exstarent, haud facile filio hominis etiam tantum dignitatis tribuere posses. Non sunt enim audiendi, qui dicant Jesum attributorum duorum nonnisi alterum idque praeclarius ipsum sibi imposuisse, alterum vero discipulorum comitumque aestimationi debuisse. Imo utrumque de se praedicavit, nisi quis locis aliquot antea nobis laudatis fidem subtraxerit, sed illud quidem raro certaque ratione permotus, hoc sua sponte assuefactus cuidam generi dicendi adhibuit. Quod quum ita sit, non illud Christus egit, ut ad unum tantum nomen verecundum audientium animi adverterentur, verum ut nobilius etiam neque illi quidem contrarium imo cum eo conjungendum aliquando cognoscerent recteque intelligerent. Ergo discrimen aliquod ex eo oritur, quod hujus quidem phrasis cautior, illius prolixior usus est, quod in altera necessitas quaedam et vis dogmatica, in altera consueta grataque significatio magis valuit, simulque vero illa a divino deducta minus ipsa explicatione aliqua eget, quam ad alteram dijudicandam et illustrandam adhiberi potest.

Secunda quaestio, quam in fine libelli posituri sumus, a superiore haud procul abest. Nam quo quis nomen f. h. pluris aestimabit, eo vehementius nusquam paene in N. T. praeter ipsius Christi sermones id

adesse mirabitur, causasque hujus rei neglectae explorabit. Ignotumne mansit epistolarum auctoribus, quod toties Christus usurpaverat, an silentio praetermiserunt, quia obscurum esset, an quia in ipsa de Christo disciplina locum non haberet? Ignorasse quidem licet Paulum putes, Petrum et Johannem omnino non concedes. Sed intellexisse eos formulam nuper aliquis, ut silentium eorum explicaret, infitias ivit. Etenim in Boehmii commentatione nihil tam novum et insigne deprehendi, quam quod in primis disputat, fuisse prorsus ex arcanis cognomentum atque ita occultae sententiae, ut ipsis apostolis nondum ea cognitione imbutis reticendum fuerit. Itaque si forte reliquorum N. T. scriptorum de Christo doctrina atque disputatio non errore omni vacaverit, in causa esse, quod hoc mysterium, quippe quo verissima praeceptoris de se conscientia recondita esset, non clare perspectum habuissent. Dulcissimum esse fateor, si cui contigerit, ut rem occultam et ne apostolorum quidem animis expeditam enodaret eademque suam aliquam firmaret opinionem; sed Boehmius in hac re non tam verum quam ipsi quod placuit tradere videtur. Quis credat Christum, si sententiam intellectu adeo difficilem uni illi voci subjunxisset, de ea discipulos dubitatione gravi aestuare passum fuisse? Ubinam cetera talibus verborum involucris gavisus est? Ubinam ut quodque occultissimum erat, ita creberrime dictitavit? Deinde, ut hoc missum faciamus, nomen ipsum non ejusmodi videtur, quod a captu discipulorum atque intelligentia longe remotum fuerit, praesertim si vera sunt, quae Boehmius quoque de ortu ejus et loco Danielis sentit. Johannis in primis quod ingenium fuit, quum postea philosophiam attigisset, mirum fuisset, si ea adjutus sententiam a Viro Docto formulae subjectam non investigasset.

Itaque quum praetermissio neque ignorantibus neque parum edoctis scriptoribus tribui possit, tertium relinquitur, ut causam aut fuisse putemus cur nomen tacerent, aut defuisse cur commemorarent. Sed ne hoc quidem modo quaestionem persolvere, quodque illi sibi voluerint nisi conjectura quadam facta decernere callebo. Scholtenius opinatur, minus sublime et magnificum nomen illis fuisse, quam quod Jesu in epistolis imponerent. Equidem ad hoc addam, quod forsan crediderint, Christum ipsum in terra versantem decuisse ita se vocitare, sibi autem ea nomina, quae dominum ad coelum jam evectum et in solio patris adorandum illustrarent, esse praeferenda. Quum ille de humano suo loco atque genere quasi gloriatus esset, putabant forsan, se divinam ejus potestatem celebrare indeque cognomina quaerere debere. Tum eo quoque adjuncto, quod phrasis nostra latae cujusdam et fluctuantis notionis esset atque explicatione egeret, facilius eam in sacra disciplina videmus negligi potuisse, etiamsi nihil deliberatione ulla statutum esset: multa enim nullo consilio reprobata ex dicendi atque erudiendi usu excidunt, nisi certa impedierit ratio. Nescimus etiam, num omnino apostoli voce abstinuerint: tales enim de reditu Christi rebusque novissimis descriptiones, in quibus ea maxime insigni modo occurrit, in epistolis nullibi paene deprehenduntur. Sive autem consideratio quaedam scriptorum, seu desuetudo non voluntaria, seu utraque illud effecit, ut nomen e Christi ore in discipulorum de eo sermones non transierit, utcunque res se habet, nec detrimentum grave librorum doctrina inde accepit, neque auctoribus convicium opinor faciendum est. Quidquid enim formulae subjicis, nescio an idem ex epistolis quoque exhiberi aliquo modo possit. De Christi humanitate si in universum cogitamus, notissima epistolarum dicta veniunt in mentem, quibus et homo vo-

catur (Rom. 5, 15. 1 Tim. 2, 5), et e muliere prognatus, legis auctoritati subjectus, postremo omnibus numeris praeter peccatum fratribus aequalis dicitur esse (Gal. 4, 4. Hebr. 2, 17. 4, 15). Demissi status humilisque declarationem quaerenti clarissimae voces Paulinae offeruntur: ταπείνωσις, μορφὴ δούλου, πτωχεύειν, κενοῦν ταπεινοῦν ἑαυτὸν (Phil. 2, 6—11. 2 Cor. 8, 9), ut possint verba εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος ad nominis nostri sententiam referri. Neque ille etiam, cui perfectissimi hominis informatio placet, plane de epistolarum argumentis desperabit. Quis enim Paulo laudatur ὁ δεύτερος ἄνθρωπος (1 Cor. 15, 47), vel ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν (vs. 45), nisi qui ut Adamus integer de manibus Dei prodierat, ita novi generis humani auctor atque princeps, spiritalis vitae quasi parens, virtutum quarumvis laudumque exemplar desuper descendit? Atque ecclesia ipsa, quum Dei filii cognitione ducta in adulti viri maturitatem excrescere debeat (εἰς ἄνδρα τέλειον Eph. 4, 13), non potest ad alius cujusdam normam et exemplum conformari nisi ad hominis perfectissimi, qui in terra versatus sit, cujusque corpus totus hominum quasi coetus sustineat. Vides neque summi et justissimi ideam, utpote quae mediatoris atque servatoris dignitati conveniat, in illis libris desiderari. Quod denique ipsi nos appellationi subesse conjecimus, si forte singulis quibusdam epistolarum locis non compareat, ne hoc quidem gravem dubitationem habebit. Ut enim disputationum magna pars illum spectat, qui etsi humana stirpe exortus naturaque praeditus cunctas tamen divinas vires possedit, ita hominis filii imago et species sine nomine etiam agnoscenda a scriptorum animis minime aliena fuit. Quodsi igitur non tam rei ac sententiae quam vocis defectio excusanda est, eo tandem confugiamus, quod de Christi vita et institutione usuque dicendi paucissima tan-

tum in epistolis traduntur. Nos vero totius sacri codicis lectores duplici de quo diximus nomine docemur et delectamur, quum utrumque mente reputemus, Christum et hominis filium se dicere solitum et a discipulis ut Dei filium elatum et nostros usque ad dies celebratum esse.

Excursus historicus.

Ex re fore putavi, si in adnotationibus quibusdam qualicunque huic scriptioni adnectendis collegissem, quae de posteriore praesertim nomine in antiquae ecclesiae monumentis et apud veteres patres opiniones et explicationes reperiuntur. Foret hoc quoque haud exiguae utilitatis, si quis scripturae locis expositis jam ad diversas posterorum scriptorum et haereticorum explicationes transiret, et qua ratione cum N. T. dictis cohaererent ostendere, et cur una alterave maxime praeceptoribus esset probata, disquirere studeret. Sed illi de solo Dei filio paene innumerabilia enumeranda essent, quorum etiamsi nonnulla minus nota sint, pleraque tamen omnes e dogmatum historia didicerunt. Ne breviter quidem ea percurri poterunt, nisi in libro copioso et a viro longe eruditissimo. Itaque mihi in eo acquiescendum erat, ut quae de appellatione hominis filius varie adhibito leguntur, afferrem, de altera pauca subderem simulque quaererem, quomodo utrumque nomen in libris vetustis conjunctum in Christum collatum esset.

Multum enim abest, ut duo illa attributa tantidem olim facta et aequali modo de Christo usurpata sint.

Prius quidem adeo inter omnes valuit, ut symbolorum antiquorum ne unum quidem, quod illo vacaret, invenerim, neque in scriptorem quemquam summae hujus laudis oblitum inciderim. Posterioris vero nec locus fuit ad fidem constituendam aeque necessarius nec tam frequens ac sollemnis usus. Exstant tamen aliquot res, quae vel ecclesiae scriptoribus vel haereticis varium in modum proferendi nominis ansam praebuerunt.

Primum quidem, ut ab haeresibus initium capiam, Ebionitas Jesum merum hominem a Josepho et Maria prognatum habuisse satis constat. Nonne vero formulae nostrae ea species fuit, quam facile opinioni suae accommodarent? Nec tamen locum ullum inveni, quo id fecisse dicantur. Fuit tantum alteri eorum parti Christus ἐκ σπέρματος ἀνδρός secundum Epiphanium: sed virile hoc etiam per vocem f. h. significari poterat, nam in homiliis Clementinis, quarum scriptor affinis fuisse illi sectae videtur, primus propheta Adamus, cui Christus postea consimilis exstitit, vocatur III, 22 ὡς υἱὸς ἀνθρώπου ἄρσην ὤν. Quamquam scio ab eodem scriptore virginalem Jesu ortum non negari.

De Gnosticorum commentis, quibus agnomina quoque Christi varium in modum adhibuerunt, multo accuratius edocti sumus. Plerique Jesum non eundem habuisse cum Christo traduntur, quippe quem aeonem supremum cum homine illo per baptismum inauguratо esse conjunctum putarent. Quod ad h. f. attinet, Theodoretus (haer. fab. I, 14) et Irenaeus (adv. haer. I, 34) referunt Sethianos vel Ophitas Deum primum hominem vocasse, ἔννοιαν autem progressum ex illo hominem υἱὸν ἀνθρώπου sive δεύτερον ἄνθρωπον, quos conjunctos tertium spiritum Christum peperisse, eumque in Jesum e virgine natum esse delapsum. Valentinianorum tum scholas plura diversaque excogitasse Irenaeus probat, pro eo loco, quem hominis spe-

cici atque naturae in aeonum suorum serie mandavissent. Reperitur in priore aeonum classi hominis et ecclesiae complexio, ex qua quum servator prodiisset, ideo se ὁσὰν εἰ ἀπόγονον ἀνθρώπου hominis natum nuncupavit. Idem nomen fuerunt qui ita explicarent, ut hominem dicerent universarum rerum proavum atque principem cuncta complexu suo continentem (Iren. I, 7. Tert. adv. Valent. 39). Heracleonis Valentini cujusdam asseclae explicationem aliquam Origenes laudat in Joh. tom. XIII, 48, in qua praeter summum illum aeonem hominem Christus quoque in terra versatus h. f. appellatur. Sic duos hoc loco filios habemus, quorum superior desuper spiritalia spargit semina alteri postea cessante satore metenda et colligenda (cf. Neander Gnost. Syst. p. 149). *)

Deinde iis argutiis, quibus Marci Valentiniani somnia abundant, nihil cogitari potest mirabilius. Nam singularum vocum Ἰησοῦς, Χριστός, λόγος, ἀλήθεια aliarumque literas computans ad hosce numeros elementorum systema composuit. Quaternionem conficiunt homo et ecclesia, sermo et vita, ex quibus profectae vires Jesum in terra adventurum procrearunt. Qui vero in illum cum columbae specie coelitus descendit spiritus, id effecit, ut f. h. se profiteretur (τὸ ὁμολογῆσαν ἑαυτὸν υἱὸν ἀνθρώπου) et patrem patefaceret. Addit scriptor: εἶναι οὖν τὸ Ἰησοῦν ὄνομα μὲν τοῦ ἐκ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου λέγει, τεθεῖσθαι εἰς ἐξομοίωσιν καὶ μόρφωσιν τοῦ μέλλοντος εἰς αὐτὸν κατέρ-

*) Grabe Spicileg. patrum tom. II, p. 240 coll. 105. 167. edit II. Idem Heracleon ad locum Joh. 8, 44 vocum υἱός, τέκνον potestatem triplicem distinguit. Has enim aut proprie stirpem ortumque naturalem, aut animi sensum atque cognationem sententiae significare, qua quis alteri addictus sit, aut tum denique adhiberi ait, si quis per studia et modum agendi ad certum quendam locum prope accesserit.

χεσθαι ἀνθρώπου. Sed taedet plura afferre ex Iren. I, 12. (edit. Feuardent. 1639, p. 84. 76). — Marcioni novimus hominem quidem Christum fuisse, sed non solido nostro corpore indutum. Nomen igitur ubi in Lucae evangelio reperit, quaeritur quomodo ad suam opinionem accommodarit, numque Messiam Judaicum an veri bonique servatoris humanum visum habitumque voluerit eo insigniri cf. Thilo Cod. Apocr. N. T. p. 408, Bellosobrii hist. Manich. I, p. 522. Luc. 5, 24 de vero Christo videtur accepisse, quum Tertull. IV, 10 quaerat, qui possit ab haeretico tam dilucidum humanitatis specimen admitti. Ad locum 6, 22 Tert. IV, 14 etiam in V. T. Christum demonstrat gravis odii causam constitui, neque igitur inter h. f., qui secundum creatorem sit, et illum, qui Christus sit, discrimen statui debere. Itaque de vero Christo videtur haereticus interpretatus esse. Sed Luc. 12, 39 teste Tertulliano IV, 29 fur ille, qui hora ignota domum esset ingressurus, demiurgus fuit Marcioni, ejusque Messiam habuit h. filium (Thilo l. c. p. 444 adnot.). In eundem fertur traxisse, quae Luc. 17 de futuro f. h. adspectu traduntur, ubi Tertullianus erroris refutandi causa locum de passione ejusdem agentem testatur. Idem alio loco ex nexu orationis jubet intelligi, omnia de eodem Christo f. h. sive tristia sive laeta atque gloriosa praenunciari cp. 39 ad. Luc. 21, 27. Judicem fore f. h. Luc. 21, 36, quae verba Marcion propterea abolevit, quia neque salvatorem ullorum, neque Christum creatoris omnium arbitrum futurum concessit: ita nempe rem explicari video Cod. Apoc. p. 471 adnot. Videtur igitur Marcion, si credere fas est iniquo ejus censori Tertulliano, pro diversorum locorum argumento nomen aut de Christo demiurgo aut de Dei boni filio humanum visum mentiente explicasse. Tum ab eodem Tertulliano in universum arguitur, non posse eum aliter appellationem

tueri Christoque vindicare, quam si aut Deum ipsum dixerit humanum aut cum Valentinis aeonem aliquem persona hominis affecerit (IV, 10).

Allatis supra Gnosticorum opinionibus ea ni fallor cogitatio subest, quod humanae naturae quendam prototypon supremis in virium divinarum formis collocarunt, qua putarent suscepta virtute coelesti Jesum ad summum honoris fastigium evectum esse. Pertinet huc quoque Manichaeorum placitum. Illi enim quem Jesum patibilem et υἱὸν τοῦ ἀνθρ. dixerunt, eum primi hominis filium habebant ad regna defendenda a bono Deo ex illo procreatum, mox autem oppositi regni vinculis irretitum. Ab hoc filio hominis alius discernitur impatibilis eodem nomine ornatus, cujus opera animae materiae pravae onere atque sordibus oppressae sensim e suis compedibus liberentur (Neand. l. c. p. 89. Bellosobr. hist. Man. II, p. 552). Augustini verbis c. Faust.: „duplex h. f., alter segetem faciens alter metens" Heracleonis locus supra allatus in memoriam revocatur. Exortam esse opinor hanc descriptionem ex Christi parabola Matth. 13, 24 sqq. verbisque: ὁ σπείρων-ἐστιν ὁ υἱ. τ. ἀ. (vs. 37).

Ex Clementis Alex. epitome multa erui possunt de Theodoto Gnostico, quae vel de summo D. f. (εἰκὼν τοῦ πληρώματος), sive de psychico Christo (εἰκὼν τοῦ σωτῆρος) finxit. Spiritalis ille cum psychico Christo fuit conglutinatus: corpore igitur suscepto quum moriendum esse h. filio praedixeri (ὡς περὶ ἄλλου φαίνεται λέγων δηλονότι τοῦ ἐμπαθοῦς), non potest nisi patibilem Christum alterum significasse (Clem. opp. p. 794. 98 ed. Sylb.).

Alterum contra Theodotum, adversus quem Epiph. haer. 54 disputavit, probabile est nomen ad illud adhibuisse, ut merum hominem Jesum esse probaret. Idem ex illis conjicere licet, quibus Epiphanius Noëti errorem evincere studet. Ceterum hujusmodi classis

haereses tales fuere, in quibus de alterius potissimum nominis auctoritate disceptaretur.

Missum facienti mihi hasce haereticorum opiniones primum quidem apostolicorum qui dicuntur patrum reliquiae offeruntur. Apud Ignatium, siquidem re vera epistolarum illarum auctor habendus est, uno loco ad Ephes. cp. 20 Christus secundum carnem e Davidis familia ortus dicitur *ὁ υἱὸς ἀνθρώπου καὶ υἱὸς θεοῦ*, quippe qui et nobis et numini aeque propinquus sit. Eam enim scriptor illo loco tanquam *οἰκονομίαν* celebrat, cui Christus accommodate et novus (*καινὸς ἀ.*) et perfectus homo (*τέλειος ἄνθρωπος* ad Smyrn. cp. 4 col. cap. 1) redditus sit. Ultra si quid adjicere fas est, illud moneam, quod voces *υἱος* et *λόγος* eandem jam in sententiam coaluisse passim intelligitur, v. c. ex verbis difficilioribus ad Magnes. cp. 8 (cf. cp. 6, ad Rom. cp. 7 sub finem), quodque idem *γεννητός* et *ἀγέννητος* dicitur, posteriore vocabulorum *γεννητός* et *γενητός* discrimine nondum invento. — Hermae visiones suas enarranti quum auscultare longum sit (nomen f. D., inquit, magnum et immensum est, et totus ab eo sustentatur orbis), neque in Clementis epistola multa nobis quidem laudanda exstent, velim tantum uberiorem nominum copiam, quibus refertae sunt constitutiones pseudo-apostolicae, animadvertas qualia sunt: *ὁ ἀγαπημένος παῖς θεοῦ* (lib. I, prol.), *θεὸς λόγος* natura impatibilis (II, 24), filius ante omnia saecula genitus, *οὐ ψιλὸς ἄνθρ. ἀλλὰ θεὸς λόγ. καὶ ἄνθρ.* (VI, 6. 11. VII, 26), *θεός ἐστι καὶ ἄνθρ. ὁ φανείς* (VII, 36), demta utroque filii voce *θεὸς μονογενής* (cp. 38, cf. VIII, 12. p. 403 edit. Cotel. Amstel. 1724).

Justino, quem Platonicae philosophiae studiosum ab Alexandrinae scholae theologia haud procul remotum fuisse viri docti cognoverunt, paene idem valere nomina *υἱὸς* et *λόγος* videntur, quum Dei sermonem

atque filium inde ab humanarum rerum primordiis varia ratione efficacem tandem hominis specie indutum apparuisse demonstret apol. I, p. 93 ed. Thirlby. Alio loco dial. c. Tryph. p. 252 sqq. plures etiam appellationes: δύναμις λογική, δόξα, υἱός, σοφία eodem prorsus numero habentur, quamquam eas non ethnicorum more fictas temereque inventas verum naturae ejusdem atque virtutibus confirmat accommodatas esse apol. II, p. 115: modum quidem gignendi filii licet a reliquarum rerum constitutione longe diversum subtiliter definitum non reperies (apol. I, § 30). Tum vero Christus quum nec per aetheream speciem hominibus interfuisset, neque omnium instar ex parentibus partus esset, nomine f. h. nihil ait posse contineri, nisi quod mirabili modo homo exstiterit ab iis, quae hominum natura fortunaque ferant, non alienus. Itaque vel Mariam genitricem, vel Abrahamum, ex quo illa edita sit, proavum Jesu declarari. Sic Judaei Tryphonis dubitationem tollere studet pp. 301. 353. 362. cf. Keilii opuscula p. 488 sqq. — Justini nomine responsionum ad orthodoxos liber circumfertur, cujus paucos locos ad nostram causam adducamus, neglecta videlicet temporum ratione, quoniam hunc librum non posse ante saeculum quartum compositum esse, dilucide patet. Doceri cupit discipulus quaest. 66, qua ratione infidelium crimina redargui debeant, qui Christum, quum sese υἱὸν τοῦ ἀνϑρ. masculino genere usus vocaverit, a viro non e sola femina natum fuisse dicant. Ad quod auctor tum ineptum esse respondet, si quis ob unam vocem ambiguam (διὰ μιᾶς ἀσαφοῦς τε καὶ ἐλλιποῦς φωνῆς) certissima scripturae dicta evertere studeat, tum salva etiam Jesu nativitate mirifica nomen illud posse defendi. Alio loco quaest. 45 scriptor causam affert, cur Ezechiel a Deo constanter f. h. appelletur: nam cerni in eo mortuos ad vitam revocandi potestatem in Jesum postea collatam. Videmus hinc

scriptoris aetate quibusdam sive Judaeis sive ethnicis dubitationem de tituli nostri sententia motam esse. Nonnihil denique de attributo altero decernitur ad quaestionem 18: εἰ τὸ μὲν θεὸς τῆς οὐσίας, τὸ δὲ πατὴρ τοῦ προσώπου ἐστὶ δηλωτικὸν, πῶς ταὐτὸν τὸ λέγειν υἱὸν θεοῦ τῷ λέγειν υἱὸν τοῦ πατρός; quocum alia quaedam sermonis dogmatici veteris obscuritas cohaeret, quod verbum θεός, ubi de patre legitur, personam et substantiam, ubi de filio, alteram tantum designat.

Irenaeus III, 18 adversus eos, qui per speciem Jesum passum esse arbitrabantur „non alterum f. h., inquit, novit evangelium nisi hunc qui ex Maria, qui et passus est. — Ut illi omnes perniciose errant, quicunque Jesum a Christo divellere et in partes trahere servatorem audent, ita humana divinaque in illo fuisse credendum est.“ Itaque vere passum esse eum, nomen, quo de futura morte loquens utebatur, testimonio est. Cp. 20 Irenaeus demonstrat, neque a Josepho prognatum potuisse dici h. f., neque illum, qui non ab aliquo homine carnis naturam mutuatus esset. Sic alterum attributum quis fuerit Christus, alterum quis nuper factus sit significat (cp. 21 cf. IV, 33 p. 371 ed. Mass. ἢ πῶς ἄνθρωπος χωρήσει εἰς θεὸν, εἰ μὴ ὁ θεὸς ἐχωρήθη εἰς ἄνθρωπον;). Tertium quoque nomen Christus ad hominis indolem atque adventum restringitur.

Cum Irenaeo idem plane judicat Tertullianus, qui haereticorum placitis quae opposuerit, supra attuli. Utrumque ita accipere jubemur, ut alterius quoque rectus locus sit. Aeque igitur falsum esse, aut de putativo quodam homine cogitare, ut agnominis veritas tollatur, aut vulgari modo genitum habere, quocum Dei filii virtus stare nequeat (adv. M. IV, 10. 18). „Sed enim invenimus illum directo et Deum et hominem expositum, certe usquequaque f. D. et f. h.

sine dubio secundum utramque substantiam in sua proprietate distantem." (adv. Prax. 27). Eodem fretus argumento Novatianus distinguendum esse inter utrumque filium probat, quatenus divinus quidem alterum suam ad eminentiam promoverit, humanus autem ab illo susceptus et cum eo conjunctus sit. Ita integras Jesu Christi virtutes amborum nominum vi ac sententia comprehendi (de trinit. cpp. 11. 16. 19.). Sagacissimum illum verae sapientiae defensorem Lactantium vix est, quod de dogmate accurate definiendo adeamus. Prudenter tamen et ipse ethnicos hortatur, ne ad notionem f. D. fictitii quidquam ex ipsorum superstitione haustum admoveant (Instit. IV, 7. 8,).*) Ortum ejus postquam prolationi cuidam vocis contulit, qua disertus atque rationalis spiritus mente patris conceptus uti rivus de fonte profectus sit (IV, 6. 8.' 9), Dei f., inquit, per spiritum factus est, et hominis per carnem (cp. 13, p. 338 ed. Heum.). Etiam Danielis vaticinium de eo, qui natus sit ἀπάτωρ, interpretatur.

Hippolytum episcopum Portuensem et magno apud aequales in honore fuisse et Noëtum, Theodotum aliosque haereticos fortiter impugnasse constat. Sed facile poterat apud posteros gravem in erroris suspicionem incurrere. Nonne enim a plerorumque consensu abhorruit affirmans: ὃν (sc. τὸν λόγον) υἱὸν προσηγόρευε διὰ τὸ μέλλειν αὐτὸν γενέσθαι (de Chr. et Antichr. § 15)? quibus haec adde contra Noëtum (p. 242 ed. Fabric.) dicta: „qualem f. suum Deus per carnem misit nisi ver-

*) Athenag. apol. p. 10. 24 in Galland. bibl. vol. II. μή μοι γελοῖόν τις νομίσῃ τὸ υἱὸν εἶναι θεῷ κτλ. Theoph. ad Aut. II, cp. 22: οὐχ ὡς οἱ ποιηταὶ καὶ μυθογράφοι λέγουσι υἱοὺς θεῶν ἐκ συνουσίας γεννωμένους Tert. apolog. § 21: „f. D. — non quidem ita genitus, ut erubescat de filii nomine aut de patris semine", sed tanquam sermonis divini atque rationis substantia ex Deo prolata. cf. Clem. Alex. Strom. I, cp. 18.

bum, quod a principio scilicet f. vocavit — nec enim verbum per se et sine carne perfectus f. erat, cum tamen esset perfectum verbum, unigenitus". Quid igitur? λόγος quidem aeternus fuit, non filius, quo ille nomine atque honore tum demum, quum homo exstitisset, affectus est (vid. vol. II, p. 17 adnot. Bulli Nicaeni symboli vindicis strenui, qui artificiosius quam rectius Hippolytum ab haereticae opinionis crimine prohibere studet). Neque igitur duo nomina amplius sibi poterant opponi, quum de altero similiter scriptor dixisset, communem hominibus appellationem propter amorem erga nos ab illo assumtam eique Daniele teste, antequam esset natus (καλούμενος ἀπ' ἀρχῆς υἱὸς τ. ἀ. διὰ τὸ μέλλον), impositam esse (contra Noet. p. 237). Quamquam λόγος unigenitus vocatur, tamen attributum ἀγεννησίας accipit, quam barbare interpretes dicunt infactionem (fragm. vol. II, p. 29). Consuevit denique Hippolytus nomen παῖς τοῦ θεοῦ Christo attribuere.

Alexandrinae scholae theologi tot laudibus et attributis Christum cumularunt, ut, quodnam primarium esset et familiam quasi duceret, saepe ambigeretur. Quam varia enim apud Clementem deprehendes: δύναμις, σοφία, ἐπιστήμη, ἀλήθεια, ἐνέργεια, πρωτουργὸς κινήσεως δύναμις aliaque (Strom. V, p. 537. 544 65. VII. p. 702. 3. Paedag. II, 152. III, 215) magis opinor ad notionem λόγος quam υἱὸς accommodata, praesertim quum de generatione ejus varia illa vocabula: προβάλλειν, προέρχεσθαι, προπηδᾶν, ἐξερεύξασθαι in usu fuerint. Filii autem vox tum ad personae significationem tum ad intimam societatem cum patre declarandam expediebat. Origenes ipse similem philosophandi viam ingressus, cujus ex scriptis quo minus multa promam, angusti hujus dissertationis fines impediunt, num λόγον filium appellari jussit, an filium λόγον? Mihi quidem posterius visum est, quoniam

tum alibi tum in Joh. I, p. 22 (cf. II, 51 ed. de la Rue et de princ. II, cp. 2) inter ceteras appellationes personae nominatae naturam circumscribentes (ἀπὸ τῆς ὀνομασίας ἀναπτυκτέον τὴν ἔννοιαν τοῦ ὀνομαζομένου) etiam attributum λόγος etsi longe nobilissimum affert, ipsum igitur filium his omnibus insigniendum videtur in mente habuisse. Si vero ea spectabis, quae de illius emissione potius aeterna quam generatione disputavit, multa habebis, propter quae etiam vocem filii pro nomine quodam ad similitudinem explicando habere dicatur. Ubi in h. f. incidit nomen, vel servilem Jesu in terra viventis statum, ut antea notavimus, vel λόγον etiam cum demisso hoc homine conjunctissimum intelligendum censet (in Matth. XII, p. 548. in Joh. XXXII, 446). Alio loco hanc causam proponit, de qua ita Jesus constanter se dixerit, quod ex eo natus esset, quem multis parabolis pariter atque hominem descripsisset. Qui enim, inquit, a Deo patre profectus et per dispensationem homo factus erat, numine cum homine aliquo comparato et ipse poterat h. f. vocari (in Matth. p. 798). Dionysius Alex. fluvii ex fonte emanantis similitudine usus filii atque patris notiones maxime ad utriusque necessitudinem atque communionem demonstrandam (προκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τῆς συναφείας τὸ ὄνομα, — ἡ γὰρ πατὴρ προςηγορία δηλοῖ τὴν κοινωνίαν, cf. in Gall. bibl. III, p. 495. 97) adhibet. De Christo ex patre profecto vocabulum παιδοποιεῖσθαι usurpare non dubitat.

Apparet ex his, quae cursim ex tantis literarum thesauris libavimus, apud scriptores hucusque laudatos vocabuli λόγος intelligentiam vel in aequali cum alterius nostri vel in majore etiam dignitate fuisse. Jam quis neget, mutatam esse disciplinam inde ab eo tempore, quo per Arianam haeresin disceptatio omnis ad voces gignendi et procreandi similesque conversa esset? Nunc nomen filius acrius definiri, nunc pri-

mum haberi coepit, unde oriretur et ad quod rediret dogmatis explanatio. Quod quum aeternae cuidam vitae atque naturae genitae quidem aliquando sed tempore nullo existere coeptae tribueretur, eorum opinio, qui antea hominem tantum Christum D. f. existimaverant, stare amplius non poterat.

In ipsius Athanasii libris vide quantopere nostra appellatio inter reliquas: *δύναμις*, *σοφία*, *βουλὴ ζῶσα*, *λόγος*, quae passim reperiuntur, emineat. Tametsi enim varie mysterium explicet atque concedat, nomen non translaticio modo sed aliquatenus improprio accipiendum esse (vide Moehleri librum: Athanasius der Grosse I, p. 273); attamen in eo maxime sibi constat, quod dicit, filium tanquam *γέννημα* ex Dei patris natura esse enatum (*τὸ ἔκ τινος ὑπάρχον υἱός ἐστιν ἐκείνου, ἐξ οὗ καί ἐστι*). Vocabulum *υἱὸς* in tractatu de definit. juvat eum ab *οἷος* (*ὁ πατὴρ τὴν οὐσίαν*) derivare. Ipsum illud vexatissimum *ὁμοούσιος* eo probatur, quod sit f. *ὁμογενής* atque genuina prorsus (*τὸ γνήσιον*) ejus origo atque natura (epist. ad Serap. p. 550 ed. Bened.). Itaque omnes theologus acerrime objurgat, qui aut simplicem *λόγον* cum humano corpore titulum f. D. accepisse putent (c. Arian. orat. IV, cp. 22), aut ex adverso *σοφία* et *λόγος* aliaque mera ejus cognomina arbitrentur (ibid. cp. 25. Moehler l. c. p. 330), vel rebus creatis eundem admisceant. De f. h. vix aliud quidquam ex Athanasio auditum iri exspectes, quam quod ad Serap. p. 567. 68 scribit, quod humanum in Christo sit, id secundum imbecillitatem dolorumque omnium sensum declarari, ibique idcirco formulam poni, ubi Jesus de rebus adversis sibi imminentibus loquatur. Monet tum etiam, quod facile rideas, ne quis spiritum sanctum aut secundum filium Dei fratremque alterius faciat, aut ita e filio ortum habeat, ut filius ex patre profectus est, unde hic quidem avus illius (*πάππος*) evadat.

Quod Athanasius exorsus est, Gregorium utrumque, Basilium, Hilarium scimus suo quemque modo pertexuisse. Apud Nazianzenum inter attributa orat. I, p. 39 (Lutet. Par. 1609.) undique congesta primo loco nostrum positum est, quod statim alterum λόγος consequitur. Prius salvatori propter substantiae divinitatem inhaeret (or. 36, p. 590.), posterius additur, ne quis vulgarem corporumque partui similem nativitatem ejus existimet (διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως). Quemadmodum igitur antiquioribus saepe scriptoribus filii nomen ad recte explicandam profuit λόγος notionem, quippe quem cum Deo cognatissimum esse demonstrarent, ita haec rursus ad illud adducitur, ne quis de altera eaque potiore falsam quandam Deoque indignam cogitationem habeat. Ubicunque Gregorius de dogmate trinitatis disserit, secundum quod his verbis personae distinguuntur: γεννήτωρ, γέννημα et πρόβλημα (orat. 34, p. 562), diutius semper in illius rei explicatione versatur. Praeterea h. f. Christus eodem teste se vocavit tam propter Adamum proavum, quam propter virginem genitricem (or. 36, 590). Poterat igitur Apollinarii opinionem eo etiam haud injuria refellere, quod illinc probavit, quae hominum naturam conficerent, omnia in Christo fuisse (p. 745). Quam υἱοθεσίαν i. e. Christi in terra viventis dignitatem vocat p. 739, eam non concessit vel ex baptismo, vel ex operum amplitudine, vel ex gloria resurrectionis repetendam esse. Alter Gregorius Nyssenus in constituenda vera disciplina multus et laboriosus est, neque unquam fere illis, de quibus loquimur, vocibus disputatio ejus vacat. Nomen quidem esse illud largitur (προσηγορία, φωνή, κλῆσις) non eodem modo, quo humanis rebus competat, ad divinas res admovendum, neque vero improprie vel metaphorice sumendum esse, quum naturae vinculum atque substantiam significet (τὴν κατὰ φύσιν οἰκείωσιν or. II, p. 90

sqq., τὸ γνήσιον πρὸς τὸν γεγεννηκότα III, 105, τὸ οἰκεῖον καὶ γνήσιον τῆς ἐκ τοῦ πατρὸς ἀποδείξεως VII, 212, τὴν πρὸς τὸν πατέρα σχέσιν III, 141, cf. pp. 237. 249. c. Eunom. I, p. 54. 83 edit. Paris. 1615). Quibus Basilii hoc dictum subnectere liceat: ἐξ αὐτῆς τῆς τοῦ υἱοῦ προςηγορίας διδασκόμεθα, ὅτι τῆς φύσεώς ἐστι κοινωνός (hom. de fide p. 132 ed. Bened.). Idem occasione data commemorat, de industria scripturam verbo γέννημα ut ambiguo alteroque minus honorifico τέκνον abstinuisse, atque unicum sanxisse υἱός, cujus haec princeps significatio esset, quod filius οὐκ ἔχει ἀγέννητον τὸ εἶναι, ἔστι δὲ ἀεὶ καὶ σύνεστι τῷ πατρί (c. Eun. p. 244. 252). Tantum hoc necessarium erat, ut verbum λόγος adderetur: si enim, inquit Basilius vol. II, p. 137, sic Johannis evangelium inciperet: „in principio erat D. f.", facile ortus cujusdam patibilis cogitatio occurreret (Bas. c. Eun. p. 260 πατὴρ — οὐχὶ πάθους ἀλλ' οἰκειώσεως ἐστιν ὄνομα).*) His confirmatis acute in adversarios invehebatur, et in Eunomium ad rerum creatarum molem filium detrudentem (Greg. N. lib. I, p. 67), et in Sabellium, qui ne personas quidem titulis substituit (ibid. orat. IX). Gravem tum ii reprehensionem subeunt, qui vel fortuito vel per electionem quandam (κατὰ ἀποκλήρωσιν Greg. p. 130, Cyrill. Hier. p. 138 θετικῶς, Bas. c. Eun. 279: τὸ θέσει κατὰ μίμησιν τοῦ φύσει λέγεται) Christum honores sortitum esse dicebant, vel obedientia sua meruisse (Cyr. H. cat. IV, 155 edit. Bened.). Ad μονογενής Cyrillus monet, ne quis illi fratrem ullum adponat, cujus pater genitorem non habuerit (Cyr. p. 149. 53). De vocibus γεννητός et γενητός

*) Addam Theodoti Ancyrani ex homilia in natalem Christi haec: τοῦτον τὸν υἱὸν προςαγορεύει τὸν λόγον τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως τῷ ὀνόματι τούτῳ δηλῶν.

et contrariis quid infinitas virorum lites atque contentiones referam? quarum hoc puto caput esse, quod contra Arianos demonstrarunt, non Dei substantiae, sed patris personae τὴν ἀγεννησίαν, filio autem τὸ γεννητόν, neutri τὸ γενητόν esse tribuendum. Modo hanc controversiam ad nostram maxime causam pertinere animadvertamus (cf. Greg. orat. VI, 193, praesertim or. XII et c. Eun. lib. I, p. 100. 118. 126 sqq. Bas. c. Eun. I, p. 212). De h. f. addendum est, quod Greg. Nyss. orat. II, p. 89 naturae humanae communionem inde derivavit et hortatur, ne quis utroque nomine proposito aut quod Deum efficiat, aut quod in homine sit praeter peccatorum immunditiam Christo denegare velit. Habes jam ita explicatam naturarum partitionem, ut suo utraque attributo subjiciatur.

Augustinus quoque, ubi Manichaeos oppugnat, perverse de nomine nostro sentientes, unam esse utriusque filii personam, saepius ostendit (c. Faust. Opp. vol. VIII, p. 186. 87. 97. ed. Bened. Par. 1688). Tum propterea ait Jesum se filium hominis dixisse, ut ab Adamo, qui homo tantum fuisset posterisque omnibus mortis perniciem attulisset, se tanquam vitae et felicitatis auctorem diversum esse appareret (epist. 140. vol. II, p. 450).

Quantopere vox λόγος filii nomine personam significante devicta et obscurata sit, Marcelli Ancyrani confutatio docet. Hic enim Sabellium quodammodo secutus verbum aeternum, ingenitum, ex Dei quasi silentio progressum, quum antea personae qualitate caruisset, jam eodem tempore vel Dei vel hominis natum redditum i.e. cum electo aliquo homine conjunctum esse docuit. Λόγος igitur qui antea fuerat, non coeperat ex illius sententia nisi cum homine nato Dei filius esse (Eus. contra Marcellum II, cp. 4). Nec rationibus, quibus hoc probaretur, se credit destitutum esse. Hanc ipsam enim causam fuisse ait, cur Jesus toties non Dei sed homi-

nis filium sese dixerit, ut ostenderet, se nullum alium exstitisse Dei natum, nisi hominem a λόγῳ susceptum et adoptatum (cf. Eus. de theol. eccles. I, cp. 16). Eusebius contra strenue demonstrat, solam Christi humanitatem in scriptura hoc nomine insigniri, alterum vero divinae ejus aeternaeque substantiae ab initio tribuendum esse (ibid. I, cp. 2): Marcellum vero incerta et fluctuanti vocis λόγος significatione deceptum esse arbitratur. Simili modo Photini sententia ab istá quidem non longe remota ab Epiphanio refellitur.

Nestorius praeceptorem habuit Theodorum summis apud aequales eruditionis et sapientiae laudibus abundantem, quo neminem tunc acrius Veteris T. sententias ab ipsius Christi institutione atque doctrina discrevisse, ex ejus commentariis in prophetas minores nuper editis per V. Cl. a Wegnern edocemur. Ipsa patris filiique nomina metaphorice tantum putat in V. T. adhibita esse omnemque personarum naturam atque cognationem fuisse in obscuro, dum a Christo discipulis explicarentur (vid. Comm. ejus ed. a. Wegn. l. c. p. 538. 39. 541). Tum in symbolo sub nomine ejus circumlato ceterisque fragmentis saepius nominatur θεὸς λόγος sive υἱὸς θεός, Christi autem naturam ita auctor describit, ut eum hominem non ipsum λόγον declarare, sed participem tantum divinitatis filii seu λόγου (cf. verba symboli: ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ πατρὸς, ᾧπερ οὗτος συνημμένος τε καὶ μετέχων θεότητος κοινωνεῖ τῆς υἱοῦ προσηγορίας τε καὶ τιμῆς, aliaque) videatur facere, quam ob causam grave Marii Mercatoris in se crimen conflavit. Enatam hinc esse scimus Nestorii opinionem de Christo θεοφόρῳ i. e. de homine tanquam numinis comite vel habitaculo, in quam Cyrillus Al. nostra quoque voce usurpata invehitur. Praefixit orationis alterius ad reginas scriptae capiti LVIII hunc titulum: etiamsi f. h. dicatur Chr., nihilominus Deus verus est, atque scripturae locis assumtis

de toto Dei filio ineffabili modo cum homine juncto (*γέγονε δὲ καὶ υἱὸς ἀνθρώπου δι' ἡμᾶς οἰκονομικῶς μετὰ τοῦ μεῖναι θεός*): impie igitur duos filios distingui dicit, quorum alteri inferiori vox illa tribuatur. Adversus Nestorium item saepenumero contendit, omnino illum esse h. f., qui jure tradatur judicia exercere ac de coelo descendisse, non autem electum illum hominem, cui viventi atque agenti ex Nestorii opinione nunquam non affuerit *λόγος*. Factum enim esse per absconditam humanae naturae cum divina conjunctionem, ut nomen ab altera parte petitum totum significaret *θεάνθρωπον*. Hanc igitur, quam defendit naturarum *ἕνωσιν* fuisse in causa, cur toties totus Christus ita sit appellatus (cf. ejusdem orationis cp. 45 et primum librum ad reginas et Opera Cyrilli Lutet. 1685 vol. VI, p. 77. 114. 141. al.).

Quarto igitur anathematismo eorum errorem objurgat, qui virtutes quasdam Christo in scriptura assignatas toti ei concedere nolint, verum nonnisi ad alterutram ejus naturam illustrandam adhibeant. E fortissimis argumentis, quibus naturae unitatem probet, noster locus est de hominis filio coelitus delapso (conf. etiam defensionem Cyrilli ad anath. VIII. X. XI): hoc enim dictum de sola carne humanave indole intelligi non posse. Attamen Orientales, quum confundi tali modo naturas vetarent, eandem appellationem provocarunt.

Theodoretus duodecim capitum severus reprehensor id maxime voluit, ut quae naturarum utrique propria essent, immutata nec mixta inter se haberentur, neque vero duae sed una tantum persona esset. Ideo Christum utrumque nomen adhibuisse seque praeterea nunc Davidis filium, nunc dominum ejus, nunc Abrahamo vel minorem natu vel majorem nuncupasse, ut suum utrique naturae locum ambitumque intactum conservaret. Nam nominibus distentis et res nominatas di-

stentum iri existimavit. Ille igitur titulus documento est humanitatis tum verae, tum a summo numine diversae quamquam incredibiliter cum ea consociatae, quum in personam non in indolem unam attributa omnia coierint (cf. Theod. dial. II. Opp. ed. Schulze vol. IV, p. 84. 93. 94. 106. 108. 142. 163. dial. III, p. 187.). Ceterum eadem phrasi contra Apollinaristas quoque videtur usus esse (ibid. vol. V, p. 1096. 99).

Post novas cum Eutyche lites sancitas esse scimus et naturae duplicitatem, et personalem, quae dogmaticis est, unionem, attributorum vero communionem. Eam enim ut probaret Leo Magnus in inclyta ad Flavianum epistola monuit, vel Dei filium crucifixum, vel hominis de coelo delapsum dici. Quem postea Johannes Damascenus communicationis modum (τρόπος ἀντιδόσεως) descripsit, ad eum hoc quoque revocavit, quod f. h. totius proprietatis naturae divinae consors dicendus fuit (*καὶ ὅταν ἄνθρωπος καὶ υἱ. ἀ. ὀνομάζηται, λέγεται τὰ τῆς θείας φύσεως ἰδιώματα καὶ αὐχήματα*. de fid. orthod. III, cp. 4. cf. cpp. 3. 7). Immutatum in hac re dogma remansisse, ex iis videmus, quae Gerhardus explicat Loc. Theol. I, loc. 5. cp. 3.

Corrigenda

Pag.	2	lin.	2	pro modus lege modos.
—	33	lin.	6	pro venisseut lege venissent.
—	72	lin.	31	pro docuisse lege decuisse.
—	85	lin.	16	literae כ subscribendum est (..).
—	85	lin.	17	pro חָ scribendum est ֲ.
—	118	lin.	27	pro signifiatio lege significatio.
—	123	lin.	22	pro refferat lege referat.
—	140	lin.	16	post quam addenda est praepositio de.